BIBLIOTHECA AUGUSTANA,

COMPLECTENS

NOTITIAS VARIAS

DE VITA ET SCRIPTIS

ERUDITORUM,


QUOS

AVGVSTA VINDELICA

ORBI LITTERATO

VEL DEDIT VEL ALUIT.

Congeſſit FRANCISCUS ANTONIUS VEITH *Auguſtanus*, Bibliopola.





AUGUSTÆ VINDELICÆ.

SUMPTIBUS AUCTORIS.

MDCCLXXXV.

Digitized by Google

Buon. 1124

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Poſt editam a me Diatriben de Origine & Incrementis Artis typographicæ in Urbe Auguſta Vindelica (*a*); *poſt vulgatam* Hiſtoriam Vitæ atque Meritorum Conradi PEUTINGERI ICti Auguſtani (*b*) *jam ad* Bibliothecam *meam* Auguſtanam, *ſive* Notitias varias de Vita & Scriptis Eruditorum Auguſtanorum, *quas ab annis plus viginti, per otium horisque ſubſecivis, multo labore congeſſi, publicandas aggredior: tum ut promiſſi dati fidem exſolvam, tum ut civium meorum; de orbe litterato optime meritorum, memoriam ab oblivionis injuria pro virili parte eripiam. Qua re & patriæ meæ, quæ Viris doctis minime caruit, honori egregie a me conſultum iri: &, quotquot per Europam noſtram exſiſtunt,* hiſtoriæ litterariæ *Amatores multum oblectandos fore confido.*

 Equi-

(*a*) Præfixam invenies *Annalibus Typographiæ Auguſtanæ*, a *G. G.* ZAPFIO *Auguſtæ* anno 1778. in 4o. juris publici factis.

(*b*) Hanc poſt *J. G.* LOTTERUM curis ſuccedaneis perpolitam, fereque duplo auctiorem vulgavi *Auguſtæ*, 1783. in 8o. adjecta farragine *Epiſtolarum anecdotarum* tum abs ipſo *Conrado* PEUTINGERO tum ab aliis ejus ætatis Eruditis perſcriptarum. Cæterum præſenti huic *Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ* omnino jungenda eſt iſta *Vita* PEUTINGERI; quam ob id unice ſeparatam edidi, quia ſic a juſti libelli molem efficit.

Equidem extitere ante me complures, qui ſingularium Eruditorum Auguſtanorum *vitas ſingularibus libellis aut diſſertationibus pertractatas poſterorum memoriæ tradiderunt. Sic* Matthiæ Friderici BECKII *laudes* Eſaias VEIDIUS (*c*) *celebravit. Sic* Caſparis AQUILÆ, *ſive* ADLER *vitam* J. G. HILLINGERUS, *itemque* Chriſtianus SCHLEGELIUS (*d*) *deſcripſerunt. Sic de vita, genere ac morte* Marci VELSERI Chriſtophorus ARNOLDUS (*e*) *copioſiſſime diſſeruit. Sic* Philippus Jacobus CROPHIUS *Scholæ* San-Annæanæ, Auguſtæ, Primarios, *quos vocant, quotquot ad ſua usque tempora eam Scholam rexerunt, debitis laudibus mactare* (*f*) *non omiſit. Sic* Jacobus BRUCKERUS, *in orbe litterato notiſſimus*, DAVIDIS de Auguſta, Matthiæ SCHENCKII, Hieronymi WOLFII, Jeremiæ MARTII, Gentis FUGGERIADÆ, Achillis Pirminii GASSARI, Davidis HOESCHELII, Lucæ SCHROECKII, *denique ipſius* Philippi Jacobi CROPHII *in rem litterariam merita* (*g*) *eleganti & locupleti ſtylo eſt proſecutus: ſimilemque idem operam in laudando* Elia ECHINGERO (*h*) *ſibi ſumpſit. Taceo, ne juſto longior ſim, complures alios* Eruditorum Auguſtanorum, *qui panegyriſtas*

ſuos,

(*c*) In Diſſertatione de *Noſtro*, *Wittebergæ*. 1703. edita.

(*d*) Hujus opellam in Libro: *Sammlung von alten und neuen theologiſchen Sachen*. 8. *Leipzig*, ad annum 1737. p. 12. exhibuit *Joann.* ZEIZSCHEL Eccleſiaſtes *Rühleuſis*.

(*e*) Ante Opera ipſius VELSERI, a ſe in *folio*, *Norimbergæ*, 1682. vulgata.

(*f*) In Libello: *Hiſtorie des Gymnaſii zu St. Anna in Augſpurg*. 8°.

(*g*) Prodierunt hæ tractationes tum ſeorſim, tum junctim inter *Miſcellanea Hiſtoriæ philoſophicæ, litterariæ, criticæ*, a *Jac.* BRUCKERO in 8°. *Auguſtæ*. 1748. uno faſce edita.

(*h*) Prodiit hujus Vita *Auguſtæ*, 1724. in 8°.

ſuos, eosque varios, pro meritis nacti cum ſint, non eſt profecto, quod laudes eorum per litteratum orbem minus diffuſas propagatasque fuiſſe conqueramur.

Utcunque autem iſta ſeſe habeant, nemo tamen hactenus fuit, qui majus, latiusque excurrens Opus moliretur, & Eruditorum Auguſtanorum *copiam, quæ certe maxima eſt in urbe excellentium ingeniorum feraciſſima, ſimul ac junctim commeritis encomiis exornandam ſuſciperet: ſaltem, ſi qui tale aliquid meditati ſunt (uti ſuperiori ætate* Antonius REISERUS *&* Theophilus SPIZELIUS) *iniquiore fortuna uſi perducere ad exitum nequiverunt. Hac re motus* Joannes Georgius LOTTERUS, *juſtoque laudum patriæ ſuæ ſuaviſſimæ amplificandarum ſtudio flagrans, noviſſimus condendæ* Bibliothecæ Auguſtanæ (*i*) *propoſitum ſub labentis ſæculi noſtri initia cepit; ob quod ipſum quanto plus laudis ei tribuere convenit, tanto plus nobis doloris afferre debet, quod & ipſe, celeri nimis morte vivis ereptus, ut alia complura, ſic etiam quod hac in re probe laudabiliterque animo ſuo conceperat, imperfectum relinquere coactus ſit.*

Igitur provinciam a LOTTERO (*k*) *fati neceſſitate urgente derelictam laudabili (abſit verbo invidia!)*

 con-

(*i*) Ita teſtatur, ex *Novellis eruditis Lipſienſibus*, *Nicol. Hieronymus* GUNDLING in Libro: *Hiſtorie der Gelehrtheit*, *p.* 199.

(*k*) Perjucundum mihi accidit, cognoſcere ex *Novellis eruditis Lipſienſibus*, *ad annum* 1732. *p.* 80. eruditiſſimum LOTTERUM eandem *Bibliothecæ* ſuæ *Auguſtanæ* vulgandæ methodum rationemque animo conceptam geſſiſſe, ac ego geſſi. Conſtituerat nimirum eam ſermone *latino*, & ordine *alphabetico* conſcribere: ſimulque in illa non ſolum eos, qui *patria Auguſtani* (ſive dein *Auguſtæ* ſive alibi vitam tranſegerint) ſed etiam eos, qui, alibi nati, *domicilio Auguſtani* fuiſſent, meritis encomiis celebrare. In hoc uno

conſilio occupaturus, Bibliothecam *meam* Auguſtanam, *per complurium annorum ſpatia*, *multos pervolutando libros*, *variasque Bibliothecas luſtrando*, *indefeſſa induſtria congeſtam in medium producere paro. Quam rem etſi oppido arduam & infiniti propemodum laboris eſſe*, *quippe quæ ipſa ſua magnitudine laboret plurimum*, *perbene ſciam*; *tamen eo me conſolor*, *fore*, *ut tanto æquiores judices habiturus ſim*, *quanto vaſtius*, *difficiliusque opus aggredior*; *quod cum nulli hactenus tentatum ſit, nova plane inſolitaque via incedere cogor. Sed*, *his miſſis*, *modo de ipſius* Bibliothecæ *edendæ inſtituto ac ratione dicendum eſt.*

In tres potiſſimum claſſes dividi poſſunt ii, *quorum mentio in præſenti Opere facienda eſſe videtur.* Prima *complectitur eos, qui* Auguſtam *patriam habuerunt*, *ſive hic aut alibi vixerint.* Secunda *deinde habet eos*, *qui, alibi nati*, Auguſtam *commigrarunt*, *fixoque ibi domicilio vitam transegerunt.* Tertia *denique continet eos, qui, poſtquam* Auguſtæ *aliquamdiu commorati ſunt*, *alio ſeſe conferentes ibi vivendi finem fecerunt.* Prima *claſſis locum in præſenti* Bibliotheca *ſuo ſibi jure vendicat.* Secunda *minime negligenda viſa eſt.* Tertia *pro libitu tractabitur*; *quapropter iſtius claſſis alii laudabuntur*, *alii omittentur.*

Conſtitui autem mecum, non niſi eos Eruditos commemorare, qui, *præter quam quod fatis functi jam ſuis ſint, aliquo ingenii documento, vel impreſſo vel manuſcripto, ſeſe poſteritati commendabiles effecerunt*; *nam ſi omnium, qui doctrinæ laude quadam claruerunt*, *meminiſſe vellem*, *ſcribendi vix ullum finem fore, quis non videt? Dabo inſuper operam quam maxime*, *ut*, *quo-*
ad

uno diſcrepamus, quod is *ſuam Bibliothecam* una ſola vice totam exhibere orbi litterato deſtinarit; ego *meam* per vices perque plura *Alphabeta* edere decreverim.

ad fieri poteſt, nova hactenusque ignota, aut ſaltem minus obvia in medium proferam.

Hinc eos Eruditorum Auguſtanorum, *quorum vitæ litteris jam traditæ, quorumque in Rempublicam litterariam merita ſingularibus libellis aut commentationibus jam prædicata fuerunt, ſuo loco nominaſſe ſimulque fontes, ex quibus fuſior exactiorque de iisdem notitia hauriri poteſt, indicaſſe ſatis habebo; ita tamen, ut ſi quæ de illis a me noviter obſervata fuerint, ea addere non intermittam. Hac autem ipſa in re rurſus liberam mihi (haud præter fas, ut puto,) poteſtatem arrogo, de quibusdam illorum vel breviori, quo mox dictum eſt: vel fuſiori, ſi diverſæ rationes ſuaſerint, modo tractandi.*

Quod ſi, Lector benevole! Scriptores nonnulli in hoc Opere occurrant, quorum tibi merita leviora, neque hoc commendationis genere ſatis digna videantur, ſcias velim, me illos huic Bibliothecæ *ob id maxime inſerere ſtatuiſſe; & quod eos promerita laude penitus fruſtrare noluerim: & quod facile fieri queat, ut dies poſtera graviora de illis ac memorabiliora ferat; qua ratione, quæ primum exigua viſa ſunt, poſtea magna nobiliaque effici dignoſcuntur.*

Scribere deinde hæc omnia latino *ſermone inſtitui, ut de Doctis ad Doctos ſcribens docto ſermone uterer; patriæque urbis laudes, latius propagatæ, admiratores plures ſortirentur; nam, cum* germanica *exiguis finibus circumſcribantur,* latina *contra toto terrarum orbe leguntur.*

Dispertiri autem Bibliothecam *hanc meam, ſeu* varias de Vita & Scriptis Eruditorum Auguſtanorum Notitias, *in plura* Alphabeta, *quorum unumquodque juſtum volumen impleret, ſicque eam per vices juris facere publici, duplici ſane de cauſſa placuit:*

tum ut maius mihi, plurimis alioquin commercii librarii negotiis diſtracto, otium daretur, dicenda exaſciandi poliendique: tum ut oculorum, quos hebetiores a natura nactus ſum, infirmitas haberet, unde, legendi ſcribendique labore relaxato, vires reſumeret: quo fiet, ut unum ſaltem quolibet anno Alphabetum *in lucem producatur. Ceterum quot* Alphabetis, *ſive voluminibus* Bibliotheca *hæc mea abſolvenda ſit, cum eorum calculis iniri exacte non poſſit, modo dicere nequeo: facile tamen horum ſex aut octo proditura credo.*

Cum vero (quæ humana eſt fragilitas) fieri haud poſſit, ut in tam vaſto ac laborioſo opere non aliqua peccentur, ita curabo, ut quæ in priori Alphabeto, *aut (ſi mavis) volumine, vel perperam ſcripta ſunt, vel prætermiſſa, ea ſubſequens* Alphabetum *corrigat ſuppleatve.*

Reſtat unum, quod moneam. Poſtquam magna animi cum voluptate adverteram, placere orbi litterato, quam anno 1778. *edideram,* Diatriben de Origine & Incrementis Artis typographicæ in urbe Auguſta Vindelica; *id mihi negotii datum putavi, ut, ſi quæ occurrerent, huic Opellæ meæ vel* Addenda, *vel* Emendanda, *ea calamus ſollicite notaret. Quæ ipſa, cum minime contemnenda tum mihi tum aliis viſa fuerint, ad calcem præſentis* Voluminis *adjicere placuit.*

Hæc volui, Lector optime! ut ſcires. Vale. Scribebam Auguſtæ, *Calendis Februarii, MDCCLXXXV.*

AUCTOR.

BIBLIOTHECA AUGUSTANA.

ALPHABETUM I.

Nomina eorum,
qui hoc ALPHABETO continentur.

ABELIN (Matthias) Pag. 1
ANEMOECIUS (Wolfgangus) - - - - - 5
BILD (Vitus) - - - 10
CASPARUS *Abbas Roggenburgenſis.* - - 34
CLAUS (Joſephus Ignatius) - - - - 36
DEGEN (Theodoricus) - 41
DIETHER (Andreas) - 42
DILBAUM (Samuel) - 46
DIONYSIUS *a S. Euphroſina.* - - - - 46
DREZLERUS Joannes) - 47
ELERS (Bonaventura) - 49
EMMANUEL *a S. Maximiliano.* - - - 52
FABER (Joannes) Ord. Prædicat. - - - 53
FABRI (Joannes) Ord. Prædicat. - - - 62
FROELICH (Georg) V. *Lætus.*
GINTHER (*Antonius*) *Hunc, etſi ad Auguſtanos Eruditos minus pertineat, ipſa tamen narrationis ratio in tranſitu laudare perſuaſit* - - 39
GLETTLE (Joſeph Bernardus) - - - 73
GLETTLE (Jo. Melchior) - - - - 77
GUGL (Thomas) - - 78
GUTTWILLIG (Martinus) - - - - 78
HALLER (Leonardus) 79
HENRICHMANNUS vel HEINRICHMANNUS (Jacobus) - - - 86
JOANNES *Monachus Ord. S. Bened. Sæculo XV.* - - - 93
KAUFFRINGER (Paulus) - - - - - 95
KRAMER (Balthaſar) - 97
LAETUS (Georgius) aliter FROELICH - 98
LANGENMANTEL (Hieronymus Ambroſius) - - - 108
MARIANUS (Chriſtophorus) - - - 117
MATTSPERGER (Daniel) V. *Marianus*
NEUMAYR (Joſephus) - 129
ORTELIUS (Abraham) - 129
PEUTINGERI & PEUTINGERÆ. - - - 130
PINICIANUS (Joannes). - - - - 139
REMBOLD (Joannes Baptiſta) - - - 148
REMUS (Aegidius) 149
REMUS (Georgius) 153
ROMEL (Baruch Loth) 169
SALLER (Philippus) 169
SEILER (Gereon) - 171
SEILER (Raphael) - 174
STABIUS (Petrus) 188
THOMAS (Corbinianus) 190
UDALSCALCUS *Abbas SS. Udalr. & Afræ, Auguſtæ, Sæc. XII.* 200
WINDHAUSER (Wolfgangus) V. *Anemœcius.*
WITTWER (Wilhelmus) - - - - 214

•o) ——— (o•

ABELIN

ABELIN (*Matthias*)

De Viro hoc, doctrina juxta ac abbatiali in cænobio *Weltenburgenſi* (a) dignitate conſpicuo, pauca admodum Poſterorum memoriæ tum temporum, in quæ incidit ipſe, iniquitas: tum edax rerum in univerſum omnium vetuſtas: ſors & Synchronorum incuria reliquit. Ea notitiarum penuria ac raritate commotus, ante plures annos ad R. P. *Maurum* VOETTER, tunc temporis *Priorem* memorati Aſceterii digniſſimum, litteras dedi, rogans eundem, ut, ſi quæ haberet de *Matthia* noſtro anecdota, ea mecum benigne communicaret. Is vero dolenter mihi reſcripſit, haud alia inveniri poſſe, quam quæ *Matthias* ipſe in *Opere* ſuo: *Inſtructio chronographica de fundatione Weltenburgici Monaſterii*, de ſe ſcriptis mandaſſet. Audiamus ergo, quæ de ſe ipſe narrat, & his contenti ſimus!

„ *Matthias* ABELIN, Auguſtanus Vindelico-
„ rum, Abbas eligitur anno 1626. 27. Maii. Hic
„ Abbas ad inſtantiam RRmi & Illmi Principis ac
„ D.D. *Alberti* Quarti de perilluſtri familia Comi-
„ tum de *Törring*, & Epiſcopi *Ratisbonenſis* a ſum-
„ mo Pontifice *Urbano VIII.* pro ſe ſuisque ſucceſ-
„ ſoribus mitram cum aliis pontificalibus inſigniis
„ impetravit. Nominatus Abbas inter ſuas tempo-
„ rum injurias (quod nulli prædeceſſorum ſuorum
„ ac-

(a) Monaſterium eſt Ord. *S. Benedicti*, Diœceſis *Ratisbonenſis*, in Bavaria inferiori ad Danubium, dimidio milliari ſupra oppidum *Khelheim*, ſitum.

„ accidit) hoſtium extremas inſolentias expertus ,
„ anno Domini 1632. calend. Maii cum quinque ſu-
„ is venerabilibus Patribus *Chriſtophoro Stöckl*
„ Priore , *Georgio Rhall* , *Benedicto Peringer* , *Pla-*
„ *cido Peürl*, & *Mauro Riedtmiller* fugitivum pedem
„ *Khelhamium* direxit,ubi rexSueciæ,debellandæ civi-
„ tatis Ingolſtadienſis firmiſſimæ ſpeſruſtratus,cabal-
„ lo regio , cui inſederat , glande plumbea a mœni-
„ bus Ingolſtadii trajecto , vitam propriam procul a
„ fulmine diſtantem tutius ſervare didicit. Eapro-
„ pter . . . . . . animum ab oppugnatione di-
„ ctæ civitatis longius retraxit non ſine damno ſuo-
„ rum militum , ac *Weltenburgenſe* monaſterium
„ nullo reſiſtente omnibus ſuis commodis exuit.

„ Manifeſta tunc erat licentia & noſtro , & ho-
„ ſtili militi , ſpolia exercendi atque incolas detur-
„ bandi ; non aliter ac ſi præconis voce fuiſſet in-
„ clamata. Ibi mæroribus prope confectus Abbas ,
„ cum ſuis moleſtas in ærumna ferias agere com-
„ pulſus , in domo Granarii *Khelhamenſis* , D.
„ *Chriſtophori ab Ezenperg* , quatuor menſium ſpa-
„ tio delituit. Res tum erant plenæ turbine , ma-
„ joraque formidanda mala ; nam anno 1633. in
„ dominicæ Aſcenſionis vigilia anxius Abbas Da-
„ nubium cum ſuis trajicere conatus in equeſtres
„ manus Comitis *a Rittenberg* ad monaſterii ſui mu-
„ ros inſperato incidit : Hi equites , omnis huma-
„ nitatis obliti , & impetuoſo animo habendique
„ cupiditate , glandes ad pectus minitari , gladios
„ ſtringere , omnemque proximæ mortis ſponſio-
„ nem imprecari,nec non omnium ſuperſtitum num-
„ morum ac reliquæ ſubſtantiæ adminiculum abri-
„ pere. Quamobrem omnium inermior , non jam
„ amplius (ob pauperiem) Prælatus , quatuor e
„ ſuis Patribus comitatus (quinto Patre in turris

„ api-

„ apice forſan finem præſtolante) antiquum repe-
„ tens hoſpitium, amoroſæ commiſerationis locum
„ invenit; ubi macilentam inediam per pian. dicti
„ D. Granarii ſubminiſtrationem aliquantiſper 17.
„ hebdomadarum numero abegit. Interea circa 33.
„ annum ad calendas Novembris, ſupellectili aliqua
„ comparata, antedictus Abbas, ſui ulterioris in-
„ fortunii ignarus cum ſuis, non exigua r menti
„ pecorumque copia fretus, *Khelhamenſem* urbem
„ tertia jam fuga tanquam certum ſibi ſtatuit aſy-
„ lum. Eademmet die in veſperam declinante
„ *Wimarienſis* miles ipſam hanc civitatem ſubigit.
„ Nocte igitur inſomni clam tranſacta maturius con-
„ ſilium a Prælato cum civibus initur, ut ad ſylvæ
„ umbraculum, ob ſpem diſceſſuri hoſtis, confugi-
„ ant. Conſilio paretur; cum vero trium dierum
„ ſpatium, inter coactæ ſobrietatis & vigiliarum
„ conflictationes, tranſiiſſet, fame impellente *Alt-*
„ *manſtainium* tenditur, ubi Prælatus hoſtili invol-
„ vitur equite, ſoli nuditati induſio relicto, crude-
„ liter vincitur, per vepreta & ſaxa ad *Wimmari-*
„ *enſia* caſtra tribus horis etiam invitus ducitur: de-
„ mum cuidam *Norinbergenſi*, ſui nominis *Paulo*
„ *Oxenfelder* equitum præfecto, notæ utique ſeve-
„ ritatis ...., in cuſtodiam datur; a quo Præla-
„ tus honorifice ferreis includitur nexibus,ut nec pe-
„ dem quidem movere poſſet. Inſuper bis mille flo-
„ renos citius a Prælato numerari ſibi imperioſe po-
„ poſcit. Abbati in ſumma egeſtate poſito *Ratis bo-*
„ *nenſis* quidam vir (ubi tunc hoſtis *Wimmarienſis*
„ morabatur) commiſeratione tactus, pro liber-
„ tate redimenda mille florenos indulſit; ſed equi-
„ tum præfectus, tigride ferocior, a petito argen-
„ ti pondere non deſiſtens Abbatem in ſervitutem
„ egit, a quarto Novembris anno 1633. in ſextam

„ Septembris lucem anni ſequentis. Dici haud po-
„ teſt, quæ ac quanta crudelitatis tormenta, per
„ viarum acerbitates, victus aſperitatem, ludifi-
„ cationes, verberumque experimenta huic Abbati
„ fuerint propoſita, ut merito cum regio Pſalte in-
„ gemiſcere licuerit: abbatem & mortem uno tan-
„ tum gradu dividi. Sed juxta *Aeneæ* ad ſuos di-
„ ctum: *Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum,*
„ *tendimus in* cælum; ſic miſericors Deus, qui om-
„ nipotentiam ſuam maxime miſerando manifeſtat,
„ in *Nerlingenſi* victoriali triumpho, ab ægyptiaca
„ ſervitute Abbatem ſuæ priſtinæ libertati reddi-
„ dit, cui canere licuit illud Pſalmiſtæ: *Lætati*
„ *ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti: annis,*
„ *quibus vidimus mala.* Vixit poſt tot calamitates
„ & miſerias dictus Abbas annis ſubſequentibus
„ permultis, cui Deus cum venerabilibus Patribus
„ ſuis proſperetur æternum."

Hactenus *Matthias* de ſe. Reliquit orbi erudito (ut ſuperius, quaſi in tranſitu, monui) egregium ingenii & doctrinæ ſuæ monimentum, typis excuſum, ſub titulo:

I. *Inſtructio chronographica de fundatione Weltenburgici Monaſterii.* 8. *Straubingæ. Apud Simonem Gallum* (*b*)

quod ipſum maxime hortatu dicti *Alberti*, Epiſcopi *Ratisbonenſis*, ſcribendum ſuſcepit. Illud a ſumma raritate *A. F.* OEFELIUS (*c*) commendavit; quæ ipſa fecit, ut *Petrus Paulus* FINAUER in *Ope-*
re

(*b*) Vide *Magnoaldi* ZIEGELBAUER, & *Oliverii* LEGIPONTII *Hiſtoriam litterariam Ord. S. Benedicti, Tom. III.* p. 605.

(*c*) Vide ejusdem *Scriptores Rerum Boicarum, Tom. I. in Indice.*

re (*d*) a ſe *Monachii* anno 1775. edito idem recudi curaverit.

(*d*) *Bibliotheck zum Gebrauch der Baieriſchen Staats-Kirchen- und Gelehrten-Geſchichte.* 8. *Th. III.*

ANEMOECIUS (*Wolfgangus*)

De *Wolfgango*, aut (ſi mavis) *Lycobate*, ANEMOECIO verba facturus ipſam nominis ejus interpretationem mihi præmittendam eſſe cenſeo. Quivis facile videt, τὸ ANEMOECIUS verbum ex Græco fictum eſſe; at nemo facile divinarit, quæ vera ſit iſtius vocis ſignificatio? Succurrit hæſitantibus *M. Tatius* ALPINUS, inque *Progymnaſmatis* ſuis (*a*) dubium omne explanat, eo majori fide dignus; quo melius *Noſtrum* cognitum habuit, quippe quo præceptore uſus fuerat. In hæc itaque verba, loco citato, ad *Leonardum Bojum* (*) de etymo: *Lycob*, & *Anemæ*, canit:

„ *Lycobaten*que tuas latere *Anemæcion* aures,
„ Vimque tibi ignotam nominis eſſe refers.
„ Credo, nec Arctææ dictarunt pectora Muſæ,
„ Res ergo eſt latiis græca docenda modis.
„ Primus ab *ingreſſu* vel *greſſu*, Boje! *graduve*
„ Nomina raptoris poſſidet orta *lupi*,
„ Aeoliisque ſui ſimiles cognomine *ædes*
„ Cauſam refertam *flatibus* alter habet.
„ Forſan & hæc neſcis? Veſtra hic *Wolfgangus* in urbe
„ Atqui WINTHAUSER dicier ille queat. "

 Hæc

(*a*) Excuſa hæc fuerunt ab *Henrico Steiner*, Auguſtæ, anno 1533. in 8°.

(*) *Leonard.* BOIUS, ſive BAVARUS, vernacule BAIER fuit *Auguſtanus*. Teſte *Phil. Iac.* CROPHIO, *Hiſtorie des Gymnaſii zu St. Anna in Augſpurg*, p. 21. & 99. in Gymnaſio *Annæano Auguſtæ* aliquamdiu docuit, circa annum 1554.

Hæc *M. Tatius* ALPINUS (*b*) de vero nomine ANEMOECII. Jam ſubjungenda veniunt, quæ de hoc Viro, alioquin parum noto, præcipua tamen laude prorſus digno repperire potui.

Claruit *Noſter* circa initia ſæculi XVI. primitusque *Monachii*, urbe Bavariæ principe, Ludimagiſtri ad *S. Petrum* partes ſuſtinuit; quo ipſo in loco *M. Tatium* ALPINUM cum pluribus aliis, poſtea eruditionis permagnæ famam conſecutis, ſuos inter diſcipulos numeravit: prout idem, tum in *Progymnaſmatis* ſuis ſæpius, tum in *Epiſtola* nuncupatoria ad *Monacenſem* Senatum, *Polydoro* VERGILIO *de Invent. rer.* germanice a ſe anno 1537. *Auguſtæ* edito, præmiſſa fatetur, ajens: „ ſe, quid„ quid ſcientiæ poſſideret, a doctiſſimo, latinæ (*c*) „ græcæque linguarum ſcientiſſimo, *AA. LL. Ma„ giſtro*, ſed jam propediem creando *Juris* eccle„ ſiaſtici cæſareique *Doctore*, *Wolfgango* WINT„ HAUSER, tunc temporis Ludimagiſtro *Monacenſi*, „ accepiſſe. “ Ita autem præfuit muneri huic ſuo, ut communi omnium ſuffragio maximam diligentiæ & præclaræ doctrinæ laudem tulerit; etſi infirmiori corporis valetudine uteretur: quæ res eum permovit, ut occaſionem quæreret, relicto ſcholaſtico pulvere vitam commodius transigendi. Sed, cum optatam quietem obtinere non poſſet, *Ulmam*, eo evocatus, ſe contulit. Eorum, quæ dixi, auctorem

(*b*) De ALPINO videri poterunt ipſa illius *Progymnaſmata*, in quibus multas vitæ ſuæ circumſtantias narrat.

(*c*) Verba *M. Tatii* ALPINI hæc ſunt: *Dann ich auch allen Grund meines kleinen Verſtands in den Geſchriften durch den hochgelehrten beyder Sprachen* (latinæ & græcæ) *und der freyen Künſten Meiſter jezt geiſtlich- und kayſerl. Rechtens künftigen Doctor Wolfgang* WINTHAUSER, *E. W.* *zumal allda in der fürſtlichen Stadt* (Monachii) *Schulmeiſter*, *als durch meinen getreuen Præceptorn erlernt hab.* &c.

ctorem habeo omni exceptione majorem, ſæpius laudatum ALPINUM, in quodam ſuorum *Epigrammatum* ita canentem:

„ Ergo ſalutatrix, tantæ fidiſſima curæ
„ Nuntia, longinquam Litera carpe viam.
„ Claraque *Lycobatis*, doctoris limina noſtri
„ Quære; indigna quidem detinet *Ulma* virum.
„ Cur illic peragat vitam, fortaſſe requiris?
„ Eſt brevibus res hæc longa docenda notis.
„ Obtinuit certo *Monachenſis* tempore ludi
„ Pulpita clavigeri numine tuta *Petri.*
„ Hic magno excoluit diſcentum corda labore,
„ *Corporis*, ut dixi, *immemor* ipſe *ſui.*
„ Hinc ægram miſer adverſa valetudine vitam
„ Ducere, & inceptæ ſæpe pigere ſcholæ.
„ Sæpe etiam blanda reverendum voce Decanum
„ Aggredi, idem ſupplex hæc mala ſæpe queri.
„ Ut ceu mœcenas æquum, potiore, petenti
„ Proſpiceret ſtudio, conditione, ſuo. "

& poſt pauca:

- - - - - - - - - - -
- - „ eluſum ad ſe vocat *Ulma* virum.
„ Ac offert doctæ prægrandia præmia linguæ,
„ Quæ fuit ipſius maxima cauſſa viæ. "

In ea autem civitate *grææ diſciplinæ* præcepta auditoribus tradendi mandatum accepit, jam tum *Philoſophiæ Doctoris* ornatus honoribus. Præter latinam græcamque linguas, hebraicam quoque perbene tenuiſſe *Noſtrum*, idem ALPINUS teſtatum reliquit, in alio *Progymnaſmate* dicens:

„ Docebit *Ulmam* nunc triplici loqui
„ Et græco, & *ebræo*, & latino
„ Ore "

Succedente vero tempore *Auguſtam* appulit *Noſter*, græcam latinamque linguas ibi docturus. Monet

hoc iterum *M. Tatius* ALPINUS, dum inter *Progymnaſmata* ſua in commendationem *Noſtri* Juventutem *Auguſtanam* ſic alloquitur:

„ Nil habet utilius totius machina mundi,
„ Exacta *Grajæ* cognitione phraſis.
„ Quod gravis *Auguſta* perſenſit *in urbe Senatus*,
„ Ac certa ſtatuit cognitione legi.
„ Nempe ut *Vindelicæ* rumor celeberrimus oræ
„ Verberet æthereos hac quoque parte polos.
„ Qui cupit ergo bonas nunc excoluiſſe per artes
„ Ingenium, & *linguas* edidiciſſe *duas*:
„ Huc breve carpat iter; Non eſt, cur quærat Athenas:
„ Hic etenim diſcat *Græca*, *Latina*, licet.
„ Namque profeſſurus magni *Wolfgangus Homeri*
„ Aſtuto duplicem factam ab Ulyſſe viam:
„ Junget & *Andini* celebrem, quæ Muſa *Maronis*
„ Aeneadas juſſam ducit in Heſperiam.
„ Eſt aliquid certe, *Latiam* cognoſcere linguam;
„ Plus tamen, in *Grajo* quod velit ore loqui.
„ Aſt ab utraque potens ANEMOECIUS arte docebit,
„ Ut ſermone queas doctus utroque frui. "

Quo vero maxime tempore *Auguſtam* venerit *Noſter*, difficile eſt definire. Cum citata *Progymnaſmata M. Tatii* ALPINI, ex quibus ipſis modo allegatum Enneaſtichon deſumpſi, anno 1533. impreſſa fuerint; vel ante hunc annum, vel certe hoc eodem anno 1533. *Noſtrum Auguſtæ* docuiſſe, credibile eſt. Rei huic paululo majorem lucem affundit *M. Philippus Jacobus* CROPHIUS, qui (*d*) teſta-

(*d*) In Libello a ſe edito: *Hiſtoriſche Erzehlung von dem Urſprung &c. des Gymnaſii zu St. Anna in Augspurg.* 8°. *p.* 11. & 99. Confer. *Ach. Pirm.* GASSARI *Annal. Augſburg.* inter MENCKENII *Script. Rer. german. T. I. p.* 1800.

teſtatur: „ *Noſtrum* , poſtquam, *Gerhardo* GEL„ DENHAUERO, Noviomagenſi, Auguſta Marpur„ gum anno 1534. avocato, a Scholarchis Augu„ ſtanis Ludus litterarius *ad S. Annam* in novas „ Claſſes diſtributus fuit, primæ Claſſi præpoſitum, „ docendique munus una cum duobus ſociis ſuis, ſe„ cundæ tertiæque Claſſi præfectis, *Arſacio* nimirum „ *Seehofer* & *Stephano Vigilio*, anno MDXXXV. „ tertia poſt Pentecoſten die non ſine magna laude „ exorſum eſſe, ſalarii acceſſione ex ærario publi„ co obtenta." Circa annum MDXXXVII. *Noſtrum*, *Doctoris in Jure* eccleſiaſtico & cæſareo, laurea decoratum fuiſſe, planum facit ſupra citata *Epiſtola nuncupatoria M. Tatii* ALPINI ad Senatum *Monacenſem*. Ab illo tempore quid de *Noſtro* actum ſit, comperire, etſi multa rimanti mihi hucusque non licuit.

Cæterum de ingenio *Noſtri*, eruditionisque amplitudine ſatis luculentum (puto) teſtimonium tum juventutis inſtituendæ publicum munus, eidem pluribus in civitatibus demandatum: tum laudes & honorum tituli, quibus eum, duce & authore *M. Tatio* ALPINO ſcriptore ſynchrono, cumulavi: tum etiam Libri perhibent ab eo editi; ad quorum enumerationem modo pergo. Sunt autem ſequentes:

I. *P. Virgilii Maronis Bucolica*, *cum ſcholiis Wolfgangi* ANEMOECII, *ex Græcis & Latinis Auctoribus, collectis*. 8°. *Auguſtæ*. 1533. *apud Henric. Steiner*. Vidi in Bibliotheca *Collegii Auguſtani*, quondam *Societatis Jeſu*. Recuſum fuit *Viennæ* anno 1535. teſtibus *Martino* LIPENIO in *Bibliotheca philoſoph. p.* 222. *Joſ.* SIMLERO in *Biblioth.* & *Chriſtoph.* HEYDREICH in *Pandect. Brandenburg.*

II. *Libanii Characteres*, *ſeu Notæ & Formulæ Epiſtolarum. Latine. Interprete Wolfgango* ANE-

MOECIO. 12°. *Baſileæ*. 1554. Præmittitur *Gilberti* COGNATI *Farragini Epiſtolar. Laconic. Baſil.* 1554. teſte *Catalogo Biblioth.* BUNAVIANÆ, *T. I. p.* 199. *a.* & *Jo. Alb.* FABRICIO, *Bibl. Græc. Vol. VIII. p.* 529.

III. *M. Tullii Ciceronis Officiorum Libri III. opera & diligentia Wolfgangi* ANEMOECII *ex vetuſtiſſimo Codice plusquam in centum locis caſtigati atque reſtituti; adjectis etiam de Amicitia, de Senectute, Paradoxis, atque Somnio Scipionis: una cum Dialogo* ANEMOECII, *in quo reddit rationem, cur illos locos mutaverit.* 8°. *Baſileæ.* 1555. *apud Nicolaum Bryling.* Vidi meis oculis hanc Editionem, quæ *Jo. Alb.* FABRICIUM, ceteroquin ſollertiſſimum rerum iſtarum indagatorem in *Bibl. Latina*, penitus fugit. Aliam vetuſtiorem horum *Officiorum Ciceronis* editionem, anno 1544. *Baſileæ* a *Brylingero* excuſam eſſe aſſerit *Conr.* GESNERUS in *Bibl. univerſ. Tom. II. p.* 628. *b.* item *Joſ.* SIMLERUS in *Bibliotheca*, & *Chriſtoph.* HENDREICH in *Pandect. Brandenb.*

BILD (*Vitus*)

BILDIUS, quem, nomine latina lingua reddito, *Imagium* a doctiſſimo Viro *Chuonrado* PEUTINGERO J.U. Doctore, temporum illorum æquali, vocatum fuiſſe, & ſeipſum græca voce *Iconium* vocaſſe invenio, inter Cænobitas ad *SS. Udalricum & Afram, Auguſtæ Vindelicorum*, ſæculo XVI. ineunte claruit. *Viti* noſtri memoriam poſteris ſervavit P. *Bernardus* PEZIUS Monachus *Mellicenſis*, vir de omni antiquitate longe meritiſſimus (*a*). Hunc ſecuti ſunt & exſcripſerunt PP. *Magnoaldus* ZIEGELBAUER Monachus *Zwifaltenſis*, & *Oliverius* LEGIPONT Cæno-

(*a*) Vide ejusdem *Diſſertationem iſagogicam* ad *Tomum I. Theſauri Anecdotorum noviſſimi*, pag. XXXII.

Cænobita *S. Martini Colonienſis* (*b*), ſcriptores *Rei Ordinis* ſui *litterariæ* non contemnendi. Poſt hos omnes *Joann.* HEUMANNUS, Juris in Academia *Altdorfina* Profeſſor, in *Documentis litterariis* a ſe in 8°. *Altdorfii*, 1758. editis memoriam *Noſtri* renovavit, quem etiam *l. c. p.* 115. Mathematicorum clariſſimorum amicum, & aſtronomiæ non mediocriter peritum fuiſſe, recte concludit.

BILDII noſtri *tria Volumina manuſcripta* repperire eſt in Bibliotheca *San - Udalricani* Monaſterii *Auguſtæ*; uti primus monuit ſuperius a me laudatus, nec ſatis unquam laudandus *P. Bernardus* PEZ, quorum is etiam brevem ideam (*c*) orbi erudito reliquit: brevem (inquam) ideam; nam majora ſectans res *Viti* noſtri perſtrinxit tantum, calamo ad alia properante. Ego vero, cui prædicta *tria Volumina* ex memorata Bibliotheca anno 1779. humaniſſime communicata fuerunt, id mihi negotii datum puto, ut non ſolum eorundem *Voluminum* fuſiorem exactioremque deſcriptionem Eruditis exhibeam; ſed etiam eorum, quæ, ex dictorum *Voluminum* diligentiore inſpectione pervolutationeque, ad vitam *Noſtri* pertinentia didici, cum orbe litterato communicem.

Natus eſt BILDIUS anno reparatæ ſalutis MCCCCLXXXI. in die *S. Tiburtii*; id quod ex Genethliaco, quod ſua manu *Noſter* ſibi ſcripſit, & initio *Voluminis I.* occurrit, erui poteſt; Ibi enim in hæc verba ſcribit: *Feria nativitatis meæ* 1481. *in die Tiburtii quartale* ... *undecima prandii ſabatho ſcilicet,* g. *littera dominicalis*, 19. *aureus numerus*, Patri-

(*b*) Vide eorundem *Hiſtoriam litterariam Ord. S. Benedicti*, *Tom. I. p.* 56., & *Tom. IV. p.* 679.

(*c*) Vide ejusd. *Diſſert. iſagogicam* ad *Tom. I. Theſauri Anecdotor. noviſſ. pag. XXXII.*

Patriam habuit *Höchſtadium*, *Palatinatus Neoburgici* urbem, ad flumen Danubium ſitam; prout ipſe rurſus teſtatur tum alibi ſæpius, tum in inſcriptione libri: *Enchiridion Trivii* (*d*) quem monaſterio ſuo una cum reliquis ſuis libris omnibus, quos eo, ſacram ſuſcipiens veſtem, detulerat, obtulit. Sic autem ſonat inſcriptio:

Ego Fr. Vitus Bild Höchſtetenſis loci hujus, SS. ſcilicet Udalrici & Aphræ presbyter & profeſſus anno dominicæ incarnationis 1504. *hunc eidem contuli libellum.*

Mente recollecta librum hunc qui conſpicis, hortor:
Sis memor ipſe mei, funde preceſque pias.

Hinc ſe Græco vocabulo *Acropolitanum* dixit, ſcilicet ex ἄκρος & πόλις. Fratrem nactus eſt *Michaelem* BILDIUM Parochum *Höchſtettenſis* urbis, &, poſtquam hoc munus *Stephano Voagk* reſignarat, Capellanum ad *S. Nicolai* ibidem, teſtantibus id *Litteris* Senatus *Höchſtettenſis* ad *Noſtrum*. Junior adhuc Patronum & Mæcenatem præcipuum expertus eſt *Bernardum de* WALDKIRCH (*e*), cujus erga ſe benevolentiam ac liberalitatem tum *Epiſtolis* tum *Carminibus* ſæpius prædicat, *alterum patrem ſuum* appellans. *Joannis* præterea ALANTSEE utriusque Juris Licentiati, *Auguſtenſis* Curiæ Vicarii (Hunc annis ſuccedentibus Juris pontificii Doctorem, & Vicarium in Spiritualibus generalem nuncupat)

(*d*) Extat hoc *Enchiridion Trivii*, MSStum in Bibliotheca *San - Udalricana* Auguſtæ; ſpiſſum eſt Volumen in *octavo*, chartaceum, continens *Grammaticalia*, *Rhetorica*, & *Logicalia*.

(*e*) De *Bernardo de* WALDKIRCH ſequentia habet *P. Corbinianus* KHAM in *Hierarchia Auguſtana*, *P. I. cathedr. p.* 609: „Bernardus de Waldtkirch J. U. D. ſummus Cu-„ſtos 1485. Canonicus Eyſtettenſis, Præpoſitus Eccle-„ſiæ collegiatæ in Pfaffenmunſter, Dotator SS. Philippi „& Jacobi. Obiit 23. Febr. 1513."

cupat) apud quem & vernæ , ut ait , munus ſuſtinuit , peculiari benignitate uſum ſe commonſtrat , dum eum in Epiſtola anno 1508. 3. die Aprilis data , *ſingulare refugium ſuum* vocat. In eorum , quæ hactenus dixi , confirmationem , ipſa illius verba afferre juvat. Sic ergo de ſua adoleſcentia in quadam pagella *Voluminis I.* at tam ineleganter , tam luride , ut omnia aut legere aut legendo divinare plane nequiverim , ſcribit : *Item ætatis meæ anno 19. puta anno dominicæ Incarnationis 1500. veni Auguſtam feria 4ta poſt Mattæi , vel proxima die poſt Mauritii : & eram apud S. Udalricum Scriptor. . . . M. Hainrico* PIERLIN *de Dinkelſpiel , apud quem fere duos annos permanſi ; poſtea per eum non parum promotus nactus ſum ſtatum apud M. Joannem* ALANTSEE *Vicarium Curiæ Auguſtenſis , apud quem , usquequo Beneficium in Wiſenſtaig nanciſcebar , permanſi. . . . Apud eum etiam accepto Beneficio , quod mihi per Bernardum de* WALDKIRCH, *Præpoſitum ibidem Canonicumque Auguſtenſ. conceſſum & impetratum fuerat , ordinabar in Subdiaconum in die Ignatii : & ſequenti die poſt Circumciſionem receſſi ab Auguſta ad poſſidendum Beneficium , ubi circiter quartam partem anni reſidebam : & tandem poſt viſionem in nocte horribiliſſimam nec non de vitæ emendatione , haud non . . . ſubſequentem lethalem & ſubitam ſtomachi paſſionem deliberavi intrare Ordinem , & elegi me ſubjicere Regulæ S. Benedicti , & mox per M. Jacobum* ZWIFALTER *, & D. Sebaſtianum* OCHS *Canonicos Wiſenſteigenſ. . . . mei deliberationem per ſcripta præfato Domino meo , Joanni* ALANTSEE *, ut me apud S. Udalricum in Auguſta . . . . qui , ut ad probationem ſuſciperer . impetravit ; qui adveniens . . . . pro Ordinis Diaconatus ſuſceptione Auguſtam feria 5ta poſt Annuntiationem*

Ma-

Mariæ, ordinabar ſequenti Sabbatho, puta Paſſionis Domini, in Diaconum, & eodem die poſt ſuſceptionem Ordinis Diaconatus revelavi M. Chriſtophoro DENGLER *& Udalrico* SCHMID .... *& circa undecimam intravi Ordinem, & ante ingreſſum ordinavi ſcripta matri & fratribus meis, ingreſſum meum eis pandens, Anno dominicæ incarnationis* 1503. *prima die Aprilis.*

Præceptorem habuit *Jacobum* LOCHER (*f*) dictum *Philomuſum;* hoc enim honoris titulo eum ornat in Epiſtola 1513. 4. Kal. Decembris ad eundem data. Similiter *Nicolaum* POLL, Medicum, *Oenipontanum* (*g*) *præceptorem ſuum in ævum colendiſſimum*, in Epiſtola 1515. 19. Januarii data ad eundem, nominat: uti etiam *Joannem* STABIUM (*h*) æterni nominis virum, in Epiſtola 1515. 3. Kal. Junias, & alibi ſæpius. Pari modo *Jacobum* STOPPELIUM (*i*) ſuis præceptoribus ſæpius accenſet, una cum *Andrea* STIBORIO, cujus umbram (animam) uti & STABII ſe Deo commendare, ait in Epiſtola ad *Bilibaldum* PIRCKHEIMERUM 1527. data. Anno MCCCCCIII. divino ſe ſervitio arctius mancipare volens, Ordinem *S. Benedicti* ingreſſus eſt, ſanctumque, ut ajunt, habitum in Cænobio *SS.*

(*f*) De hoc doctiſſimo Viro conſule GADDIUM *de Scriptoribus eccleſiaſticis.*

(g) Huic ſequentem honoris titulum in Epiſtola 1517. 17. Februarii data *Noſter* ſcripſit: *Medicinæ, Aſtronomiæ, Aſtrologiæ, omniumque pene ſcibilium indagatori ac Doctori ſubtiliſſimo D. Nicolao* POLL *præceptori ſuo in ævum colendiſſimo, veram diſcipuli obedientiam.* Ceterum de *Nicolao* hoc conſule KESTNERI *Lexicon Medicorum.*

(*h*) De STABIO KOENIGII *Biblioth. V. & N.* videri poterit.

(*i*) Conſule *Jo. Georg.* SCHELHORNII *Amœnit. litterarias, Tom. IX. p.* 413. de *Jacobo* STOPPELIO.

SS. Udalrici & Afræ ſumpſit. Rei hujus fidem, præter ſuperius allata, ipſe iterum facit, dum nonnullis ſuorum *Carminum* adſcripſit: *ſubſequentia, in Ordine, habitu regulari indutus, ſcripſi Carmina, anno ſcilicet* 1503. Paulo poſt, &(ut videtur) MCCCCCIV. ſacro Presbyteratus Ordine initiatus eſt; quod colligi ex allata ſuperius inſcriptione *Enchiridii Trivii* poteſt, ubi ſe jam ad annum 1504. *presbyterum* nominat. Anno MCCCCCXI. ab Abbate ſuo *Joanne* SCHROTT licentiam, in *Tegernſeenſe*, Bavariæ ſuperioris, monaſterium per aliquod temporis ſpatium divertendi petiit & impetravit; ſed, cum ab iſtius loci Antiſtite repulſam tuliſſet, annuentibus Superioribus *Mellicum* in Auſtria unius anni ſpatio ſeceſſit. Inde anno 1512. circa feſtum Paſchatis domum reverſus commercium litterarium cum Viris ævi ſui eruditis apprime coluit, jugemque ſtudiis operam impendit, etſi podagricis plurimum doloribus aliisque infirmitatibus, & ſub vitæ finem etiam ex renibus laborarit. Hinc factum, ut vitam haud in longum produxerit, ſed anno MCCCCCXXIX. XIV. Kal. Auguſti naturæ debitum moriendo exſolverit. Teſtatur hoc Necrologium Canoniæ *S. Crucis* Auguſtæ MSStum, in quo ad prædictam diem ſequentia leguntur: *Ex Monaſterio SS. Udalrici & Afræ obiit Fr. Vitus Presbyter & Monachus Ord. S. Benedicti, anno Dni.* 1529. Neque obſtat, quod epiſtola, a *Bernardo* PEZIO (*k*) excerpta, *Nicolai* ELLENBOGII Monachi *Ottoburani* ad *Noſtrum*, annum 1529. diemque S. Stephani, pro die ſcriptionis, appoſitos habeat; quocum *Volumen III. MSStum Viti* BILDII etiam conſentit. Etenim numerus anni 1529. tum in laudato

(*k*) Vide *ejusdem Diſſertat. iſagogicam* ad *Tom. I. Theſ. Anecdot. noviſſ. pag. XXXII.*

to *Manuſcripto*, tum in PEZIO, certe falſus eſt; & hujus loco annus 1528. poni debet. Evidenti hujus rei argumento eſt; Epiſtola alia *Fr. Nicolai* ELLENBOGII, Epiſtolam illam ſuperiorem, de qua controverſia eſt, in dicto *Volumine MSS*to BILDII noſtri mox ſubſequens, dataque menſe Junio 1529. in qua ipſa legere hæc eſt: *Dedi autem ad te unas litteras, ad feſta natalia, cujus data eſt: Ex Ottenpura in die S. Stephani.* 1529. En manifeſtam contradictionem! Qua enim ratione ELLENBOGIUS dicere menſe Junio anni 1529. potuit, ſe *Noſtro* miſiſſe litteras in feſto S. Stephani anni ejusdem 1529. Nonne hoc modo nequaquam quæ jam facta eſſent, ſed quæ primum poſt dimidium annum a ſe facienda eſſent, præpoſtere retuliſſet? Atque iſtud quam abſurdum & a ratione alienum eſſet, quis non videt? Merito ergo laudati Necrologii authoritatem ſequi præplacet. Accedit, inter Epiſtolas a *Vito* noſtro ſcriptas nullam eſſe, quæ IV. Julii 1529. poſterior ſit: nec etiam aliud *Ejusdem* Opuſculum poſt hanc diem ſequi, perbrevem eamque unicam Exhortationem ſi excipias, quam rogatu Abbatis ſui *Joannis Könlin* ſcripſit. Hinc profecto confici poſſe exiſtimo, *Noſtrum* paulo poſt lethali morbo correptum eſſe, atque ex eo deceſſiſſe.

Hæc de circumſtantiis vitæ BILDII, maximam partem ex inſpectione *trium Voluminum MSS*torum quæ poſt ſe reliquit, invenire potui; nunc ad ea, quæ de eruditis *Viti* laboribus omnique ejus ſcientia tum alibi, tum in memoratis *tribus Voluminibus* didici, enarranda transgredior.

Præter *latinum* ſermonem, quem (ut ea ferebat ætas) perbene calluit, *græcæ* quoque linguæ non inexpertum fuiſſe, plura Epiſtolarum *Ejus* loca, maxime vero illa Epiſtola oſtendit, quam

ad

ad *Chuonradum* PEUTINGERUM J. U. Doctorem de græca inſcriptione *Numiſmatis* alicujus, *Herculis* nomen ferentis, ab eo conſultus, anno 1514. ſcripſit. Ad *hebraicum* præterea idioma diſcendum poſtremis adhuc vitæ annis animum adjecit; id quod inprimis *Caſparis Amani* (*l*) *Lavingenſis*, Ord. Eremit. *S. Auguſtini* Epiſtola 1521. 15. Decembris ad *Noſtrum* ſcripta planum facit his verbis: *Decima quarta die Decembris tuas recepi litteras dulciſſ. quibus inter cetera animum tuum ad ſanctam Linguam addiſcendam accenſum novi: & , quamprimum a laboribus, quibus obrutus ſum, liberabor, ero tibi libentiſſ. informatione mea adjutorio; ſed inprimis, qui tibi in Hebræo libri ſint, me certiorem fac.* Conſentit Ejusdem Epiſtola 1522. 1. die Aprilis ad *Noſtrum* data: *Nuperis diebus, fideliſſime frater! Grammaticam Hebræam compendioſe collectam, quam binies exſcripſi, amore tibi devinctus & victus transmiſi, etſi non multum mundam, tamen ſpero ſatis correctam. Tua nunc intererit, ne fruſtra laboraverim; ſum namque paratiſſimus, te quoque in quibuscunque dubiis mihi ſcripto proponendis pro virili reſpondere & ſatisfacere.* Reliqq. *Poëſin* autem ſic coluit *Noſter*, ut ſe ſcribendis verſibus magnopere delectatum, & permagna in iisdem condendis facilitate, diviteque vena uſum eſſe multoties prodat. Quantum in *Rhetorica* profecerit, docent permultæ *Ejus* Collationes ſeu Exhortationes domeſticæ, coram Conventu habitæ: præcipue vero illa anni 1515. quam *Noſter* ſuo e cerebro, nullius libri adminiculo uſus, totam produxit;

(*l*) De hoc eruditiſſimo Viro vide *Jacob.* BRUCKERI *Miſcellanea Hiſtoriæ &c. p.* 302. & 303. *in Notis.*

duxit; uti teſtatur ipſe in fronte memoratæ Collationis: *Pro hac Collatione non aperui librum, cognito themate; ſed ex proprio ingenio ſcripſi.* Ad *Theologiam* quod ſpectat, & hanc a *Noſtro* probe excultam fuiſſe, claro indicio eſt *Manuale ex Sententiarum libris*, quam *Vitus* ſuum in uſum congeſſit: & cujus inferius mentionem denuo ingeram. *Matheſin* autem, cui ſe operam jam *in ſæculo* impendiſſe, in Epiſtola ad *Nicolaum* ELLENBOGIUM anno 1520. 20. Decembr. fatetur, toto vitæ tempore quam maxime tractavit. Comprobant hoc variæ mathematicæ lucubrationes: uti *Compoſitio horologii meridionalis, orientalis, cornicularis, non declinantis &c: Ratio horologiorum vitris inſcriptorum: Compoſitio cylindri quam facillima: Computi eccleſiaſtici cognitio quam facillima: Compoſitio alia cylindri: Modus duplandi cubi facillimus: Compoſitio concavi: Ratio faciendi quadrantem cum horis planetarum: Methodus ſciendi horas per umbram propriæ ſtaturæ &c.* quæ, quia minora ſunt & exiguæ molis, in ſubſequenti *Deſignatione Contentorum tribus Voluminibus MSS*tis *Noſtri* diſtinctis verbis indicare omiſi; ne nimis longus eſſem. His adde, Lector! ſi lubet, plura alia, ad hanc materiam ſpectantia, quæ in memorata *Deſignatione* diſertius annotanda duxi: uti etiam, quod *Noſter* ab ipſo *Friderico*, Saxoniæ Duce, mandatum acceperit, horologia vitris inſcribenda ſubmittendi; qua in re pararii vices *Georgius* SPALATINUS geſſit. Sileo hoc loco, *Noſtrum*, longius progreſſum, *Aſtrologiæ* quoque ſe dedidiſſe; quod *Genethliaca* occurrentia produnt; quamvis in his ſcribendis parcior fuit, quod (ut monet) eis Canones eccleſiaſtici parum patrocinentur.

Equi-

Equidem hiſce orbi litterato ſatisfeciſſe *Noſter* videri poteſt; attamen ipſe ſibi non ſatisfecit. Etenim vel humanioribus vel ſublimioribus, quæ recenſui, ſtudiis non contentus, *Muſicæ* etiam arti ſeſe egregie impendit. Certe hujus ſcientiſſimum fuiſſe *Noſtrum*, & editus ab eo liber ſub titulo: *Stella Muſices*, de quo inferius ſermo recurret: & *Muſica* quædam, quæ in ſubſequenti *Deſignatione Contentorum tribus Voluminibus MSS^tis Noſtri, Volumine II. n°* 22. annotantur: & *Manualia* nonnulla *figurativæ Muſicæ*, quæ anno 1504. compoſuit, ſed poſtea ſe amiſiſſe dolet, invicte probant.

Nemo poſt hæc, credo, mirabitur, BILDII noſtri opera tum Superiores tum Aequales ejus multoties uſos eſſe: eumque Viris ætatis ſuæ doctiſſimis jucundum amabilemque fuiſſe; quod ex Epiſtolis a *Vito* ad hos, viciſſimque ab his ad *Vitum* ſcriptis ſatis abundeque conſtat. Et quoniam de Amicis *Noſtri* ſermo incidit, ſcias, Lector! præter ſexcentos alios, tum eos, quorum nomina in ſubſequenti *Deſignatione Contentorum tribus Voluminibus Noſtri, Volumine III. n°* 29. diſtincte apponuntur, tum inſuper *Adolphum* OCCONEM Medicum, *Georgium* HARTMANNUM Vicarium ad *S. Sebaldi* Norimbergæ, *Sigismundum* GRIMMUM Medicum Auguſtanum, *Jacobum* STOPPELIUM Medicum Memmingenſem, *Joannem* SCHONERUM percelebrem Mathematicum, *Henricum* BEBELIUM, *Joannem* MADER ſeu FOENISECAM, *Joannem* STÀBIUM cæſareum Hiſtoriographum (cujus ſequens extat ad *Noſtrum* ſchediaſma: *D^no Vito Cænobitæ S. Udalrici. D^ne Vite! Veniatis cras poſt prandium ad me; proponam enim vobis, quæ juſſu S. Cæſareæ Majeſtatis nobis facienda*

 ſunt.

ſunt. S. Cæſ. Maj. Hiſtoriographus Joann. S abius.) inter Amicos *Noſtri* numerandos eſſe : quorum Virorum , tot tantorumque , amicitia ac benivolentia cum ſit fruitus *Noſter* , vel ex hoc proclive eſſet , de *Ejus* eruditione doctrinaque judicium ferre , etſi ingenii ejus monumenta nulla eſſent; ad quæ enumeranda modo aggredior.

Typis itaque *No er* vulgavit ſequentem Librum, maxime in gratiam Juventutis :

I. *Stella Muſicæ Juvenibus artisque ejusdem Novellis , vera propter principia inde nanciſcenda , edita. in* 4[to].
Sequitur Sapphicolon , & poſt hoc Subſcriptio ſequens :

F. V. BILD. (*m*)

In fine operis leguntur hæc : *Completus feliciterque finitus eſt Liber hic ingenioſus per calcographos Erhardum Oeglin Jeoriumque Nadler cives Auguſtenſes.* 1508. 29. *die Martii.*

Diſtichon ad Lectorem.
Fælicem Lector finem nunc conſpice Libri :
Et ſuperis gratus ſis , memor atque mei.
F. V. BILD.

Hoc opus ſuo nomine appoſito (ut vides,Lector!) typis publicavit *Noſter* ; quod ipſum in Bibliotheca Cænobii *San - Udalricani* Auguſtæ anno 1770. 10. Julii inſpexi. Alterum , ſub ementito nomine *Joann. Gereonis* (verius *Phi. Ico. Gereonis*) a *Noſtro* luci publicæ datum , quod tamen oculis uſurpare mihi nondum licuit , eſt

II. *Judicium ſuper Anno MDXXIV.*
Quæ ſit vera libelli hujus ratio , omnium optime declarat Epiſtola *Noſtri* , ad *Chuonradum* PEUTINGERUM

(*m*) Lege : *Frater Vitus.* BILD.

GERUM anno 1524. ſcripta ; quam hic apponere juvat : „Cognito nuper inter prandendum, Vir „ clariſſime ! te aliosque Senatores noſtros nugas „ meas ſuper cataclyſmi judicio audire deſideraſſe, „ fabellas meas præterita æſtate . . . horis, „ quibus vacare potui, deſcriptas mittere placuit. „ Offendes, crediderim (ut Vir ſagaciſſimus) ubi„ que & diſcrete multorum frivolas hac ſuper re „ opiniones me refutaſſe, & Deo O. M. omnia tri„ buiſſe ; ſecretum tamen aliquod eandem præ„ ſagire Conjunctionem, optimum quemque admo„ nuiſſe. Legere ergo *Practicam* . . . digneris, & „ mentem meam deſuper totam experieris. Unum „ eſt, quod te admonitum velim ; nonnulla perpe„ ram a calcographis poſita, ut *Practicæ* . . Titu„ lus : JOANN. GER. PHI ; quum ita ſit a me con„ ſulto poſitus : PHI ICO GEREONIS, ſub involu„ cro volens per PHI, *Vitum* : ICO, *Agnomen* : „ GEREONIS, *res cujuſdam geſtæ*, velamen pone„ re. . . . . Oro igitur, Vir præſtantiſſime! quate„ nus, qui tibi ut Patrono meo ſingulari (cui & „ omnia debeo) clanculum revelavi, ſecreto ſer„ vare digneris ; quum ſint, qui nec famæ, nec „ honori meo faveant. " *Reliqq.* Conſulas præterea, rogo, de hac *Noſtri* Lucubratione *Chuonradi Peutingeri* Epiſtolas *ad Vitum Bildium*, *N° III.* quas *Vitæ* ejuſdem PEUTINGERI a me anno 1783. editæ, ſub calcem appoſui.

Duobus hiſce Opuſculis, a *Noſtro* præli ope publicatis, adde duo alia, non illa quidem a *Noſtro*, ſed ſuccedaneis Poſterorum curis publici juris facta. Sunt illa :

III. *Epiſtolæ quinque Viti* BILD *ad Bilibaldum* PIRCKHEIMERUM. Has *Joann.* HEUMANNUS, ſuperius jam laudatus Juris in Academia *Altdorfina*

 Pro-

Profeſſor, anno 1758. inter *Documenta litteraria* a ſe edita, *p.* 328. & ſeqq. vulgavit.

IV. *Epiſtolia duo Viti* BILD *ad Conradum* PEUTINGERUM. Has ego *Vitæ Conr.* PEUTINGERI a me editæ, *Cap. II.* §. *IX. in Notis* inſerui. Atque iſtæ ſunt typis exſcriptæ lucubrationes *Noſtri*, quas quidem poſt ſagacem inquiſitionem, & multiplices inveſtigandi curas hactenus invenire potui.

Verum, etſi BILDIUS ſuis ſcriptis pleriſque lucem negavit, alienis tamen eandem modo quaſi obſtetricio dedit. Sic anno 1505. *Joannis de* WERDEA *Proverbia* imprimi ordinavit, eisque Titulum, Epigramma ad Lectorem, & Præfationem ad ſtudioſam Juventutem præmiſit. Sic anno 1507. 12. Decembr. ad quendam *Tractatum de VII. Portis ſeu Feſtis B. V. Mariæ* Titulum, Epigramma & prævium Monitum rogatu *Bartholomæi* Capellani ad *S. Urſulam* ſcripſit: cumque anno ſequenti, ſcilicet 1508. idem Opus germanice vulgaretur, ejusdem Capellani rogatu, eandem operam vernaculo ſermone præſtitit. Sic *Breviario* & *Diurnali* (ut ajunt) *Monaſticis* (Horum ultimum, ſecunda vice, anno 1513. *Erhardus* RATDOLT (*n*) excudit) Præfatiunculam, Epilogum & Diſticha adjecit. Sic anno 1516. ad Editionem tum latinam, tum germanicam *Vitæ SS. Simperti*, *Udalrici & Afræ*, in 4to plurimum contulit; de quo vide inferius in *Deſignatione Contentorum tribus Voluminibus MSS^{tis} Noſtri*, *Volumine II.* № 24.

Hi

(*n*) Egi de hoc celebri Typographo in mea *Diatribe de Origine & Incrementis artis typographicæ in urbe Auguſta*, præfixa *Annalibus Typographiæ Auguſtanæ*, *pag.* XXXV. & *ſeqq.*

Hi ſunt BILDII litterarii labores, Lector! qui quidem præli auxilio in vulgus emanarunt. At multo plures, qui ſolum manuſcripti habentur, in ſequenti *Deſignatione Contentorum tribus Voluminibus MSS^tis^ Noſtri* deprehendes. Priusquam autem ad hanc deveniamus, non inconveniens erit, nonnullarum lucubrationum mentionem hoc loco ingerere; quæ in prædicta *Deſignatione* diſtincte commemorare nec volui, nec etiam potui: quod aliæ ex his lucubrationibus, per *tria Volumina MSS^ta^*, ſolum titulo tenus occurrant: aliæ ſeorſim, & a tribus Voluminibus MSS^tis^ ſeparatæ extent: aliæ denique nonnulla habeant obſervatu peculiariter digna. Sunt itaque lucubrationes iſtæ ſequentes.

I. *Manuale ex Libris Sententiarum.*
Hujus meminit *Noſter* in Epiſtola anno 1507. 22. Novembr. ad *Bernardum* ADELMANN ſcripta, in qua ait: „ ſe transactis nonnullis annorum curri„ culis, relectis a ſe ſecundo tertioque Sententia„ rum Libris *Manuale* quoddam inde excerpſiſſe. “ Hoc nonnulli, reſcribendi tædio victi, cum typis impreſſum peroptarent, quærit ex amico, utrum illud recognitum ac emendatum prælo committere debeat, necne? Quo *Manuale* iſtud devenerit, aut quid de illo factum ſit, in obſcuro eſt. In *tribus Voluminibus MSS^tis^ Noſtri* certe non extat.

II. *Lectiones VI. de divo Chriſti Martyre Dionyſio, primo Auguſtenſis Eccleſiæ Præſule.*
Has, Canonicis Eccleſiæ Cathedralis *Auguſtanæ* ſæpius a Conventu *San - Udalricano* ſibi petentibus, 1508. conſcripſit, & per Dominum quondam ſuum, Vicarium *Joannem* ALANTSEE eisdem miſit una cum Epiſtola. Extant hæ in *Volumine I. MSS^to^ Noſtri.*

III. *Hiſtoriæ aliquot.*

Has *Noſter Henrico* BEBELIO, anno 1516. poſt viſum *Facetiarum* illius *Librum III.* miſit, ut eas *Libro IV. Facetiarum*, Deo volente publicando, insereret; ſimul occaſionem quærens contrahendæ cum *Bebelio* amicitiæ. Extant in *Volumine II. MSS^to Noſtri.*

IV. *Calendarium Auguſtanæ & aliarum Civitatum deſerviens latitudini.*

Huic præmiſit *Noſter* ſequentes verſus:

Perlege, quiſquis aves, Auguſtæ noſcere Solis
Effectus, junctis pluribus inde polis.
Hactenus incertos complexus cardinis orbes,
Suſcipe nunc fixos; ordine quæque quadrant.
Corrige fraterno, petit Author, devia corde;
Omnes humanis labimur ingeniis.

Succedit Epiſtola *Noſtri* ad *Chuonradum* PEUTINGERUM J. V. Doctorem; cujus initium hoc eſt: *Mirabar ſæpenumero Auguſtam primo veniens, Vir celeberrime! quur regiæ hujus civitatis certa Latitudo a tot inſignibus ejus viris antehac inquiſita fuerit minime; fabricandis namque operam impendere cupiens inſtrumentis, diverſis de ejusdem Latitudine prohibebar opinionibus.* Reliqq. Epiſtolam hanc excipit *Exhortatio ad Claudium Pium, & Chriſtophorum* PEUTINGEROS, *fratres germanos, optimæ adoleſcentes indolis*, ſequens:

Aetatis flores teneræ! concedite, Fratres
Germani! ſtudiis vos, precor, egregiis.
Mentem præ cunctis divinus ſermo reformet,
Unde ſalus animæ, corporis unde venit.
Juſtitiam, vitæ normam moresque paternos
Sectantes ſemper, cordibus imprimite.
Doctam conſpicitis matrem, doctasque ſorores:
Doctas, certetis, vincere qui poterit.

Nomen

Nomen ſic notum Patris extolletis in omne
Tempus præſtantis, regibus ac ducibus.

Hoc *Calendarium*, una cum *Andreæ* STIBORII *Canone Clypei auſtriaci* typis anno 1522. imprimere *Sigismundus* GRIMMUS (*o*) debuiſſet; ſed, neſcio, quibus de cauſſis non impreſſit. An vero *Calendarium* hoc idem unumque ſit cum eo, quod in ſuccedente *Deſignatione*, *Volum. III. n.* 30. proxime ante STIBORII *Canonem* occurrit, ſub judice lis eſt.

V. *Libellus Mathematicus*, vernacule. Hunc duobus fratribus *Raymundo* & *Antonio* FUGGERIS anno 1525. *Noſter* dedicavit, ſequenti Epiſtola præmiſſa:

„ *Dem ernveſten und hochberiempten Herrn* Rhaymun„do Fukhero,*ſeinem gepietenden Herren zu Handen.*"
„ *Gnad und Barmherzigkeit von Gott Vatter und un„ſerm Herrn* Jeſu Chriſto. *Ernveſter Herr! Als „ich vor etlichen vergangen Jaren mich in der Ma„thematic geiebt, hab ich under andern die Sonnen „Uren, ſo ſie durch eines jetlichen Menſchen (mitt „zichten zu reden) ſhuech gewislich* obſerviert *mü„gen werden, ausgeſucht, und durch gnad Gottes „gefunden. Und wiewol* Palladius *in ſeiner* Lucu„bration *ainer ſollichs auch anzaigt doch allein auf „ſein . . . region und* pro horis planetariis *gerech„net. Ich aber ſie auff unſere* territoria *und ganze „Uren des tags, ob er ab oder zu, kurz oder lang „wer, fleiſſiklich, ſo vil mir müglich (doch nitt on „mie und arbeit)* abſolviert. *Dieweil wir aber „alle tötlich und ibernechtlich erkennt werden, und „ich beſonder mich nitt vil Jar zu leben (doch Gotts*

(*o*) De hoc celebri tum Medico tum Typographo lege meam *Diatriben de Orig. & Increm. Art. typograph. &c. p. LVII.* & *ſeqq.*

„ *will geſcheh allain*) *verſih* , *hab ich ſollichs klains*
„ *Künſtlin nitt mitt mir wellen gen Grab fieren* ; *dann*
„ *nach meinem abſterben villeicht niemants* , *was* , *oder*
„ *warzu es gut wer* , *wiſste* , *hab ſollichs ainem Lieb-*
„ *haber aller Kunſt wellen* dedicíern : *und dieweil*
„ *ich khainen hie zu Augſpurg erkenn* (*niemandts*
„ *dardurch nachgetailt*) *der der Mathematic beſon-*
„ *der Liebe trag* , *dann E. W. und jren Bruder Herr*
„ Antonium , *hab ich ſollichs wöllen* adſcribiern ,
„ *diemietiklich bittend* , *welle nitt die arme* , *ellende*
„ *gab* , *ſondern den ganzen willen gegen E. W. und*
„ *pruder in aller untertenikhait underworffen anſehen*,
„ *und mich als jren armen willigen diener beſollhen*
„ *haben. Damitt befilch ich E. W. mitt allen den*
„ *jren in Gnad Schutz und Schirm Gottes. Amen.* "
Cæterum *Libellus hic mathematicus* non ſubjicitur allatæ Epiſtolæ dedicatoriæ.

VI. *Canones ſuper Quadrantis declaratione.* Scripſit hos *Noſter* item in *Raymundi* FUGGERI gratiam , cui Quadrantem prius miſerat , hoc addito Epiſtolio , anno 1525.

„ *Damit ich nit undankparr bey E. E. über mange*
„ *guthait* , *mir von ir bewiſen* , *erfunden werd* , *ſhick*
„ *ich E. E. ainen* Quadrantem geometricum , *fir-*
„ *war ain ganz luſtigs und nutzlichs Inſtrument* ;
„ *dann E. E. mag under ainem Fenſter ſten* , *und ain*
„ *Hauſs* , *Turen* , *oder anders abſehen und von ſtund-*
„ *an* , *wie ferr daſelbſt hin iſt* , *gewiſslich anzaigen* ;
„ *ja auch vil mehr ſeiner Meſſung* (*als ich auch in*
„ *dem Biechlin* , *das ich E. E. hiemit ſhik* , *anzaig*)
„ *erfunden werden.* " Reliqq. Extant in *Volumine II. MSS*^to^ *Noſtri.*

VII. *Inſtitutiones Grammaticæ.*
Harum meminit *Noſter* 1525. 17. Kal. Junii in Epiſtola ſua ad *Nicolaum* , *Werdenſis* cænobii ad *S.*

Cru-

Crucem abbatem, his verbis: *Petiit a me ſuperiori anno R. P. T. ut* Grammatices *meæ* Inſtitutiones, *quas aliquando Junioribus noſtris tradidi, eidem mutuarem; quod æque placito ac lubenti animo feci. Nunc vero quod easdem & aliis communicare efflagitatus, oro ocyus, quoad fieri potuerit, easdem remittere T. R. P. una cum Regiſtro deſuper credito dignetur.* Reliqq. Has Inſtitutiones Grammaticæ videre mihi contigit 1779. 8. Julii in Bibliotheca *SS. Udalrici & Afræ*. Sunt MSS^ta^ in 8°. ut ajunt; ad quarum finem *Noſter* adſcripſit: τέλος, 11. *die Februar.* 1519. Præmittitur eis: *Joannis* SCHONERI *Horarii cylindrici Canones*, opuſculum typis impreſſum.

Præter hæc *Noſter* anno 1515.

VIII. *Chronicon Sigismundi* MAYSTERLIN, Monachi San-Udalricani

correxit & emendavit, addita in fine hac excuſatione: *Scias, Lector!... præſentium Exemplar Chronicorum adeo a primo ejus reſcriptore (ſalva Authoris pace) eſſe negligentia detruncatum, latinitate corruptum, & congruitate ornatus neglectum, ut invitus & pene coactus idem in meliorem ſcrupuloſus reducere aſſumpſerim formam; nam multis e Doctorum turmis conceſſum ac oſtenſum, ſine fructu ac lectione propter præallegatas cauſſas remiſſum fuit.* Reliqq.

Satis te tenui, Lector! Tempus eſt, ut tandem pollicita exſolvam, & ſæpius promiſſam *Deſignationem Contentorum tribus Voluminibus MSS^tis^* BILDII noſtri tibi ob oculos ponam. En illam!

De-

Deſignatio
Contentorum tribus Voluminibus
Fr. Viti BILD.

Nota, Lector! hæc tria Volumina non ſpeciem Libri bene diſpoſiti, ſed potius Commentarii cujusdam diurni referre, in quo Noſter, *quæ ſingulis annis, ſingulisque diebus geſſit, raptim & volante calamo promiſcue annotavit. Hinc etiam ſcripturæ genere lectu difficillimo exarata ſunt, nec pro materiæ ratione bene ordinata.*

Volumen I.

Huic Rubricam ſequentem *Noſter* fecit: *Conſcriptionis meæ pars prima anno* 1505. *incepta, puta illorum, quæ reperire poteram, priſcis a me editorum annis.* Continentur autem hoc *Volumine*:

1. *Hiſtoria* ſeu potius *Officium de S. Hieronymo*, quod anno 1504. juſſu Abbatis *Conradi* MOERLIN ſe ſcripſiſſe, anno autem 1507. emendaſſe & in multis alteraſſe fatetur. *Extat ergo in duplo.*

2. *Epiſtola ad Doctorem Bernardum de* WALTKIRCH. Hanc ſcripſiſſe ſe prodit, in Novitiatu aliquando tentatus, ad *Bernardum*, qui ſibi Beneficium in Wiſenſteig contulerat.

3. *Carmina varia*, quæ *Noſter* in ſæculo a ſe ſcripta fuiſſe monet.

4. *Carmina varia*, quæ *idem* in Ordine, habitu regulari indutus, ſcripſit, anno ſcilicet 1503.

5. *Stella Muſices*, quam anno 1507. ſcripſit, annoque 1508. typi ope publici juris fecit; uti ſuperius monui.

6. *Officium Defunctorum*, e latina in teutonicam linguam translatum rogatu cujusdam Regularis apud *S. Georgium* (haud dubie *Auguſtæ*) anno 1506.

7. *Orationes piæ*, translatæ e latino in teutonicum anno 1506.

8. *Epi-*

8. *Epiſtolæ*, quas vel ipſe ſuo nomine ſcripſit, vel rogatus, ab aliis ſcribendas compoſuit. His ſequentia præpoſuit: *Item in die S. Andreæ anno dominicæ Incarnationis* 1506. *deliberavi omnes, quas deinceps ſcriberem, Epiſtolas reſervare in copiis.* Neutiquam vero hæ Epiſtolæ ita ſibi invicem ſuccedunt, ut non paſſim alia, ſive Opuſcula ſive Carmina, inſperſa occurrant. Extenduntur autem Epiſtolæ memoratæ ab anno 1506. in annum 1510.

9. *Informationes, ſeu Præcepta vitæ religioſæ*, quas 1509. 9. Januarii rogatu *P. Joannis* GRIESHERR Cellerarii majoris, religioſæ virgini *Urſulæ* WAEGALERIN profeſſæ in *Monaco* tertiæ Regulæ *S. Franciſci* ſcripſit. *Germanice.*

10. *Collatio*, rogatu D. Pœnitentiarii ſcripta, in viſitatione P. R. D. *Henrici de* LICHTNAW, pro Cleris viſitandis inſtituta.

11. *Miracula ad interceſſionem Sanctorum, in Templo San-Udalricano quieſcentium facta*, rogatu *Cuſtodis, Leonardi* GREGG conſcripta. *Germanice.* 1509.

12. *Hiſtoria*, ſeu *Officium de divo Chriſti Confeſſore Franciſco*, quod anno 1508. rogatu *P. Joannis* SCHROTT ſcribere cæpit, ſequens ANTONINUM, *p.* 3.

13. *Introductio ad Algoriſmum*, quem anno 1508. rogatu *Georgii* SCHLOSSER, in *Dillingen* commorantis, germanica lingua ſcripſit. In epiſtola prævia vocat eundem *maiſter Georg Hoffſhloſſer.*

14. *Hiſtoria*, ſeu *Officium de Sanctis in Templo San-Udalricano quieſcentibus*, ſcriptum anno 1508.

15. *Col-*

15. *Collatio* I. coram Conventu in Paraſceve habita anno 1505.

Collatio anno 1506. habita feria ſecunda poſt Invocav.

Collatio anno 1506. in Vigilia Nativitatis habita.

Collatio anno 1507. in Feſto Cathedræ S. Petri habita.

Collatio anno 1508. proxima die poſt Feſtum Gregorii habita.

Collatio anno 1508. Pœnitentiario Epiſcopi ſcripta.

Collatio, rogatu Pœnitentiarii N. ſcripta, recitanda coram Epiſcopo Capitularibusque.

Collatio anno 1509. 26. die Februarii coram Conventu habita.

Collatio anno 1509. 5. Aprilis coram Conventu habita.

Collatio anno 1510. 29. die Martii, Paraſceves ſcilicet, habita.

Volumen II.

Huic ſequentem Rubricam *Noſter* fecit: *Pars Conſcriptionis meæ ſecunda anno ſæculi hujus decimo in vigilia divi Auguſtini* (*utinam feliciter*) *incœpta.* Continentur hoc *Volumine.*

16. *Abbatum Monaſterii S. Michaelis Archangeli Fultenbacenſium, quorum nomina inveniri potuere, ſuccincta anno Domini* 1510. *ſub* R^{do.} *Patre & Domino, D. Jacobo* BOEHEM, *loci ejusdem Abbate, facta Annotatio.* Præmittitur Epiſtola *Noſtri*, ad prædictum Abbatem 29. Auguſti, 1510. data.

17. *Epiſtolæ*, quas vel *Vitus* ipſe ſuo nomine ſcripſit, vel rogatus, ab aliis ſcribendas compoſuit. Etiam hæ Epiſtolæ inter ſe non ita cohærent, neque ita ſibi mutuo ſuccedunt, ut non alia inſper-

inſperſa occurrant. Extenduntur autem ab anno 1510. ad annum 1529. Ultima Epiſtola data eſt 4. Julii 1529.

18. *Exhortatiunculæ ad Plebem in oſtenſione Reliquiarum Templi San - Udalricani duæ;* prima anno 1512. ſecunda anno 1514. ambæ rogatu *Fr. Johannis* RUMPHART, tunc *Cuſtodis* ſacræ ſuppellectilis Templi, ſcriptæ.

19. *Codicillus Religioſorum*, cum ſequenti Inſcriptione: *Item aliquot poſt Profeſſionem annos incæpi Codicillum Religioſorum ſcribere, quem tunc complere neglexi. Hujus prima pars.* Hæc complectitur decem Capitula. Iſtum *Codicillum* anno 1514. in gratiam *Afræ* SELLDIN Profeſſæ ad *S. Nicolaum* germanice vertit, addito Tractatulo: *Ain kurze Form der Beicht.*

20. *Collatio* anno 1510. in Vigilia Nativitatis coram Conventu habita.

21. *Arithmetica quædam.*

22. *Muſica quædam*, rogatu P. Subprioris *Conradi* Oenipontani & P. *Gregorii* Mellicenſium, ſcripta.

23. *Collatio* anno 1514. 13. die Aprilis.
Collatio anno 1515. 5. die Aprilis.

24. *Hiſtoria*, ſeu *Vita SS. Symperti, Udalrici, & Afræ*, quæ impreſſa extat *Auguſtæ*, 1516. Non ſolum autem editionem operis hujus latinam, ſed etiam germanicam promovit *Noſter*: & forte omnis hujus laboris gloria *Noſtro* debetur.

25 *Collatio* anno 1517. 10. Aprilis habita.
Collatio anno 1517. in vigilia Nativitatis habita.

26. *Hiſtoria* ſeu *Officium B. Catharinæ de Senis*, quod rogatu Abbatis ſui *Joannis* SCHROTT pro ejusdem ſorore, apud *S. Urſulam* Profeſſa, *germanice* vertit.

27. *Col-*

27 *Collatio* anno 1524. habita in die Paraſce-ves. NB. Hæc Collatio in Bibliotheca *San-Udalricana* Auguſtæ adhuc ſemel ſeorſim extat in quodam volumine, aliis Libris impreſſis annexa. Hujus in fine ſubduntur *Pſalmi* aliquot verſibus latinis redditi, haud dubie a *Noſtro*.

28. *Aeque recta ac brevis ad Numeros Introductio*, rogatu *Wolfgangi* RHEM *a Kötz*, Germaniæ Triumviri, pro gnati ejus .. *Wolfgangi Andreæ* informatione, anno 1525. ſcripta.

Volumen III.

Hoc omni Rubrica caret, variaque manu ſcriptum eſt. Complectitur autem

29. *Epiſtolas* abs diverſis Eruditis ad BILDIUM datas; quos inter nominatim recenſendi ſequentes: *Jacobus* LOCHER dictus *Philomuſus*. *Nicolaus* POL Doctor. *Joannes* CAESAR, ſive KAISER Auguſtanus. *Joannes* PINICIANUS. *Joannes* VOEGELIN Rector Scholæ S. Mariæ Auguſtæ. *Conradus* PEUTINGER. *Othmarus* NACHTGALL Argentinus. *Bernardus* ADELMANN de Adelmansfelden. *Georgius* SPALATINUS. *Joannes* OECOLAMPADIUS (*p*) *Joannes* DENCKIUS. *Conradus* ADELMANN &c. *Caſpar* AMMAN de Laugingen Eremit. S. Auguſtini, poſtea Provincialis ſui Ordinis. Fr. *Gallus* KNOERRINGER Monachus Faucenſis. *Nicolaus* ELLEN-

(*p*) OECOLAMPADIO amicus fuit, quamdiu in avita Religione manſit; cum vero in re ſacramentaria nova molitus eſſet, tum ſibi tum aliis vitandum duxit. En verba *Noſtri* in Epiſtola, ad *Bilib.* KIRCHHEIMERUM 1527. in feſto S. Lucæ data: *Homo eſt* (Oecolampadius) *hac in cauſſa* (ſacramentaria) *obturatus, in reprobumque datus ſenſum; unde a bonis quibusque vitandus.* Confer *Joann.* HEUMANNI *Documenta litteraria, p.* 115. & 331.

ELLENBOGIUS Monachus Ottoburanus. *Bilibaldus* PIRCKHEIMERUS.

30. *Calendarium mathematicum*, cum aliis quibusdam.

31. *Andreæ* STIBORII *Canon Clypei Auſtriaci, ad Maximilianum I. Imperatorem.*

32. *Tabula Quadrati & Cubi.*

33. *Epiſtola medica de Morbo articulari*, *una cum Remediis adverſus hunc morbum*, ſatis prolixa. Eſt D. Joannis CÆSARIS Auguſtani, prout ſubſcriptio *Noſtri* docet ſic ſonans: *A Doctore Joanne* CÆSARE *Auguſtano.* 1519. *Bononiæ in feſto Medicorum Principis Lucæ ſanctiſſ. Evangeliſtæ.* ꝺ ♃ ! ♈.

34. *Liber chiromanticus.* Non eſt *Noſtri*, ſed a *Gallo* KNOERRINGER Monacho Fauceníi *Noſtro* communicatus.

35. *Mathematica nonnulla.*

36. *Conjuratio malignorum Spirituum in corporibus hominum exiſtentium*, *prout in S. Petro.*

37. *Mathematica quædam.*

Habes, Lector! præſtantiora Opuſcula, in *tribus Voluminibus P. Viti* BILDII extantia; nam minutiſſima quæque, vel *mathematica*, vel *aſtrologica*, vel *poëtica*, vel *aſcetica* &c. &c. diſtinctius percenſere tum mihi nimims laborioſum, tum tibi facile nauſeoſum fore exiſtimavi. Cæterum eam æquitati tuæ fiduciam habeo, ut placitura tibi plane confidam, quæ de *Vito* monere volui nova, hactenusque incognita orbi litterato, poſthac cum *Joanne* PINICIANO (*q*) prorſus conſenſuro, qui in una ſuarum Epiſtolarum (*r*) *Noſtrum* jure meritiſſimo *Poëtam, Aſtronomum*, *Mathematicum*, *Theologumque ſapientiſſimum* nominavit. CA-

(*q*) De PINICIANO ſuo loco inferius fuſe dicam.
(*r*) Extat in *Volumine III. MSSto* BILDII.

CASPARUS, *Abbas Roggenburgenſis.*

Notitiam vitæ meritorumque *Caſpari*, Abbatis *Roggenburgenſis*, debemus Scriptori domeſtico, eique reverendiſſimo, D. *Georgio* itidem Abbati *Roggenburgenſi*; qui in Opere a ſe vulgato, ſub titulo: *Spiritus litterarius Norbertinus a ſcabioſis Caſimiri* OUDINI *calumniis vindicatus &c.* 4°. 1771. ſequenti encomio *Noſtrum* concelebrat:

„*Auguſtæ Vindelicorum* 24. Aprilis, Anno „1697. vitam mortalem auſpicatus, litterarum „ſtudiis ſub directione Patrum *Societatis Jeſu* inſu-„dans, Humaniora ea cum laude abſolvit in urbe „patria, ut primas fere omnibus præripuerit. Lo-„gicæ, & Philoſophiæ præceptiones dum avida „aure & mente percipit, ſanctioribus deſideriis „exæſtuans, *Rogenburgum* advolat, cum candi-„dis cygnis laudes Dei, & virgineæ Matris decan-„taturus. Admiſſus, quia remiſſius nihil unquam „egit, emiſit tria ſolennia vota anno 1717. 12. „Septembris. Inde miſſus *Dillingam*, Metaphy-„ſicam, propugnatis publica diſputatione theſi-„bus, abſolvit non ſine applauſu. Theologicum „poſtea ingreſſus ſtadium eos in divino hoc ſtudio „progreſſus fecit, ut abſterſo demum glorioſo qua-„driennii pulvere, redimitus tempora lauro Theo-„logiæ & Juris pontificii, domum regreſſus fuerit. „Sacerdos anno 1722. initiatus, moderandæ & ele-„gantioribus litteris imbuendæ ſtudioſæ juventu-„ti per aliquot annos, ut impertæſe, ita fructuo-„ſe vacavit. Deinde philoſophicas, tum theolo-„gicas, denique canonicas Facultates prælegens, „ut bonus Philoſophus recte diſcurrere, ut pro-„fundus Theologus optime divina ſapere, ut excel-„lens Canoniſta ad Canonum leges Canonicos vi-„vere docuit. Præterea Geometriæ adeo peritus

„ex-

„ extitit, ut *Magiſter in Arte* meritò compellari po-
„ tuerit. Tum Notarius ſacræ Sedis publicus, ju-
„ ratus, Romæ immatriculatus, & Cancellariæ
„ noſtræ Aſſeſſor, Secretarius, & Conſiliarius ad-
„ ſcriptus eſt. Inde ad curam animarum expoſi-
„ tus in *Schieſſen*, tandem 22. Martii 1735. Abbas
„ ſupra candelabrum, omnibus ſibi congratulan-
„ tibus, poſitus eſt. Anno 1738. ab ampliſſimis
„ Circariæ ſuevicæ Patribus electus Commiſſarius
„ interfuit Comitiis generalibus, *Præmonſtrati* in
„ Gallia celebratis: ubi, exigentibus ita meritis,
„ in prima ſtatim Seſſione Definitor, in ultima de-
„ in per Sueviam, Alſatiam, Gryſoniam, Vicari-
„ us generalis nominabatur. Verum hæc fuerant
„ meritis inferiora ſuis. Oportuit eum creſcere.
„ Quare 1746. ab ampliſſimo S. R. I. Suevorum
„ Collegio Condirector, qui conſiliis ſuis bonum
„ publicum, & patriæ emolumentum adjuvaret,
„ collectis calculis adſcitus eſt. Quæ domi, quæ
„ foris: quæ in ſpiritualibus, quæ in temporalibus
„ proficua egerit, anguſtæ hæ pagellæ haud ſinunt
„ enumerare. Hæc dixiſſe ſufficiat: fuiſſe Abba-
„ tem doctiſſimum, Præſulem ſapientiſſimum, Oe-
„ conomum peritiſſimum, ſed ſimul ſimpliciſſi-
„ mum; utpote qui, quæ hominibus alta ſunt,
„ deſpexit, & in ſimplicitate cordis ingredi concu-
„ pivit. Tandem morte nimis præpropera, ſibi
„ tamen pretioſa, ad ultimam luctam optime com-
„ paratus, occubuit, anno 1753. 23. Junii. Non
„ tantum factis & actis, ſed monumentis etiam
„ utiliſſimis probavit, & ad Poſteros usque trans-
„ miſit diſciplinam doctrinæ ſuæ, eoquod com-
„ pilarit:

„ I. *Acta Roggenburgenſia, ſeu Ortum & Pro-*
„ *greſſum Canoniæ Roggenburgenſis, uti etiam Vi-*

„ *tas & Geſta Præpoſitorum ejusdem Canoniæ ab an-*
„ *no* 1126. *usque ad annum* 1735. MS[tum] in *fol.* uti
„ etiam

„ II. *Originem & Fata Canoniæ Churwaldenſis.*

„ III. Compoſitus, & typis ab Eodem vulgatus
„ eſt: *Eccleſiæ Roggenburgenſis jamjam ſexcentena-*
„ *riæ Triumphus, præſidii & debitæ gratitudinis*
„ *Teſſera.*

„ IV. Ex idiomate gallico (uti erat linguæ hu-
„ jus peritiſſimus juxta ac facillimus) in latinum
„ tranſtulit Opuſculum quoddam aſceticum, hoc
„ titulo notatum: *Illuminator & in via chriſtianæ*
„ *perfectionis Ductor, ſeu Paſtor fortunatæ noctis.*

„ V. Immortali nominis ſui fama, & æviterno
„ *Roggenburgenſis* monaſterii emolumento, Marte
„ proprio dimenſus eſt ditionis *Roggenburgenſis* fi-
„ nes, terminos ac limites, eosque cum finitimis
„ ſeu conterminis Dominis adeo feliciter complana-
„ vit, ut totius *Siligoburgicæ* ditionis terminos non
„ modo in Maſſam (*a*) geographicam, ad ſeveras
„ Geometriæ regulas, conjecerit, deſcripſerit, &
„ artifice ſuo penicillo ad artis invidiam & omni-
„ um admirationem depinxerit; verum etiam cu-
„ ratis limitum deſcriptionibus prolixe illuſtrave-
„ rit. Ejus generis Maſſas adeo præcellentes &
„ proficuas, abs ſolertiſſimo Abbate *Caſparo* deli-
„ neatas, deſcriptasque in Archivio ſuo aſſervat
„ *Roggenburgum* ad minus *decem.* "

(*a*) Fors legendum: *Mappam.*

CLAUS (*Joſephus Ignatius*)

De Viro hoc, licet & eruditione, & eccleſiaſticis, quæ adminiſtravit, officiis apprime claro, pauca habeo, quæ proponam. Natus is ſæculo ſuperiore, poſt emenſum ſtudiorum curriculum, in

quo

quo ea cum laude verſatus fuerat, ut SS. Theologiæ Licentiatus creatus ſit, ſacerdotali ſeſe ordini mancipavit: cumque permagno animarum ſalvandarum ſtudio flagraret, paſtoralis curæ negotium capeſſens, quatuor ſucceſſu temporis parochias, *Hirſchbaci* videlicet, *Oberndorfii*, *Kaufburæ* imperiali Sueviæ civitate, ac *Biberbaci* pago ab Auguſta Vindelica aliquot horis diſſito rexit; ita quidem, ut & ab Epiſcopo ſuo *Conſiliariorum eccleſiaſticorum* albo adſcribi, & ruralis *Capituli Weſtendorfenſis Decanus* legi mereretur. Subin Auguſtam ab Ordinario accitus, & *Canonicus ad S. Gertrudem* factus, per aliquod temporis ſpatium munere *Viſitatoris diœceſani* probe exercito, tandem *Pœnitentiarii majoris* & *Sigilliferi* epiſcopalis dignitatem accepit; quo tamen poſtremo munere ob ingraveſcentem ætatem, ſub vitæ finem, ſeſe ultro abdicavit. Diem ſupremum clauſit anno MDCCLXXV. plenus dierum, præcipuam nominis celebritatem ſacræ eloquentiæ titulo conſecutus. Tumulo conditus eſt in ambitu Eccleſiæ cathedralis Auguſtanæ, addito ſequenti Epitaphio:

✠

Urna hæc, Viator!
Magni Viri exuvias claudit.
Heic jacet
Joſephus Ignatius Claus
SS. Theol. Licentiatus,
Rev^mi ac Ser^mi S. R. I. Princ. Elect.
Archiepiſc. Trevir. & Epiſc. Auguſt.
Conſiliarius eccleſiaſticus,
Sigilliſer libere reſignatus,
Tum Pœnitentiarius major.
Poſt adminiſtratas cum laude & fructu
Quatuor Parochias

In Hirſchbach, Oberndorf,
Kaufbeurn , & Biberbach,
Ruralis Capituli Weſtendorfenſis Decanus,
Et Decanorum decus,
Ad Senatum eccleſiaſticum Auguſtanum accitus,
Eccleſiæ Colleg. ad S. Gertrudem
Canonicus, Senior, Sacerdos Jubilæus,
Concionator celeberrimus,
Qui
Spicilegio ſuo lectiſſimo, orbi notiſſimo,
Præconibus utiliſſimo,
Manipulos fructus centeſimi ex Agro dominico
In Horreum cæleſte portavit.
Vere Pius & Miſericors
Pauperibus in Chriſto,
Et Chriſto in Pauperibus
Dextram nunquam clauſit,
Apertam ſemper habuit.
His, & Eccleſiis,
Quas
Rexit, Auxit, Ornavit, Ditavit,
Plura florenorum millia
Vivens donavit, moriens legavit.
Transmiſit cælo animam
Aetat. 84. Die 25. Julii. A°. 1775.
Tempore meſſis
Ad frumentum Electorum vocatus.
Aeternam ſibi apud Poſteros
Memoriæ famam
Promeruit.
Mori enim in memoria hominum non poteſt,
Qui beneficentia emit immortalitatem.
R. I. P.

Do-

Doctrinæ *Noſtri* ac pietati debentur ſequentia O-pera, typis excuſa.

I. *Vita A. R. D. Antonii* GINTHER (*a*) *Theologiæ Licentiati, Decani, & Parochi ad S. Crucem in Biberbach.* Invenitur hæc ad calcem Operis dicti *Antonii* GINTHER, cui titulus: *Unus pro omnibus. h. e. Chriſtus Jeſus Dei Filius pendens in ligno pro homine indigno.* 4. *Auguſtæ.*

(*a*) Cum ſermo de *Antonio* GINTHER inciderit, non ineptum fore cenſui, pauca de eodem annotare; ne forte Viri hujus zeloſiſſimi, tum pietate, tum eruditione & præcipue SS. Scripturarum ſcientia inſignis, memoria (ut fieri plurimum aſſolet) cum tempore penitus intereat. Natus is eſt *Fridbergæ* oppido in limitibus Bavariæ, qua ea Sueviam reſpicit, ſito, anno a reparata ſalute MDCLV. Eum mater, graviſſimis partus doloribus correpta, omni jam humana ope deficiente, *B. Antonio* devovit, & divino ſervitio a ſe mancipandum fore ſpopondit. Hinc præter ſpem feliciter genito, dum ſacro fonte tinctus eſt, *Antonii* nomen manſit. Litteraria palæſtra, in qua ita ſe geſſit, ut voto matris adimplendo parem ſe redderet, egreſſus, ſacerdotio ſuſcepto, non ita multo poſt parochiæ *B berbacenſi* præfectus eſt. In eo munere poſitus Templum, thaumaturgo Chriſti crucifixi ſimulachro celebre, ad eam magnificentiam, qua hodiedum viſitur, non ſine maximis curis adduxit. Durante hoc ipſo opere Romam profectus, alloquio INNOCENTII XI. frui meruit, & præcipue gratia ac favore Card. MARESCHOTI, qui eundem. Sacellani ſui domeſtici honore auctum, apud ſe retinere viribus omnibus allaborabat. At *Noſter*, utpote nec auri nec honorum appetens, in *Germaniam* remeare maluit, priſtinamque repetere ſedem. In hac per 46. annos apoſtolicis laboribus, omnibusque, quæ in ſacerdotem & parochum cadunt, virtutibus egregie defunctus, poſt diutinum morbum pientiſſime vitam finiit circa annum MDCCXXIV.

Doctrinæ & pietatis ejus documenta inveni ſequentia. I. *Bericht von dem heiligen und wunderwirkenden Creuz zu*

Marckt

II. *Manuductio ad* BARZIÆ (*b*) *Excitatorem chriſtianum, ſeu Sermones Miſſionales, ad Dominicas & Feſta per annum reducti & applicati. fol. 2. Vol. Auguſtæ.*

III. *Spicilegium Concionatorium, h. e.*] *Conceptus morales pro cathedra ad inſtruendam in Fide chriſtiano-catholica plebem, ad extirpanda vitia & implantandas*

Marckt Biberbach. Augſpurg. 1683. II. *Chriſtlicher Tugendſpiegel, in einer Lobrede von dem H. Bernard, vorgetragen.* 4to. 1715. III. *Currus Iſrael & Auriga ejus ducens hominem chriſtianum, per vias rectas & in S. Scriptura fundatas, in cælum* 4o. *Auguſtæ.* Sunt *Conſiderationes prædicabiles* in Dominicas & Feſta anni, octies *Auguſtæ* recuſæ: Præmittitur eisdem *Hiſtorica Relatio de S. Cruce in Biberbach.* IV. *Mater amoris & doloris, quam Chriſtus in cruce moriens omnibus ac ſingulis ſuis Fidelibus in Matrem legavit, per ſacra emblemata, figuras Scripturæ, conceptus prædicabiles &c. explicata.* 4o. *Auguſtæ.* Opus quater *ibidem* recuſum. V. *Speculum Amoris & Doloris in diviniſſimo Corde Jeſu incarnati.* 4o. *Auguſtæ.* Opus itidem ſaltem bis *Auguſtæ* recuſum. VI. *Unus pro omnibus. h. e. Chriſtus Jeſus, Dei Filius, pendens in ligno pro homine indigno. Opus omnibus Chriſtum crucifixum amantibus, meditantibus ac prædicantibus &c. maxime proficuum.* 4o. *Auguſtæ.* Opus poſthumum, quater itidem recuſum *ibidem.*

Notandum præterea, quatuor ſupra allegata latina Opera *Antonii* GINTHERI *Lauſannæ* quoque fuiſſe reimpreſſa; quod in diſſitis regionibus, præprimis *Hiſpania*, multum peterentur.

(*b*) *Joſephus de* BARZIA & ZAMBRANA gente *Hiſpanus* fuit. Integer Operis ab eo editi, cui obſtetriciam opem in Germania præſtitit *Noſter*, & quod adjecto quadruplici Indice uſui ſacrorum præconum aptius reddidit, titulus eſt: *Chriſtianus animarum Excitator per ſacros doctrinales ſermones e ſelectis Scripturæ locis clamans contra damnabilem vitiorum lethargum. Opus II. Tomis abſolutum, ob doctrinæ præſtantiam in Hiſpanico idiomate ſepties recuſum, nunc latinitate cum quadruplici Indice donatum opera P. R. D. Joſ. Ignatii* CLAUS. *fol. Auguſtæ.*

tandas virtutes, ex præſtantiſſimis Auctoribus collecti. fol. 4. *Vol. Auguſtæ.*

IV. *Spicilegium Catechetico - Concionatorium, i. e. Conceptus exegetici pro Dominicis & Feſtis. fol.* 4. *Vol. Auguſtæ.*

V. *Spicilegium univerſale Sacro - Profanum, in X. Libros, & III. Partes diſpartitum, Indice concionatorio auctum. fol. Auguſtæ.*

VI. *Dies ſancta pii Sacerdotis, i. e. Modus & Ordo vivendi pro Viris eccleſiaſticis in ſæculo degentibus. Acceſſit Diſſertatio in illa* S. JO. CHRYSOSTOMI *verba:* Non arbitror, inter ſacerdotes multos eſſe, qui ſalvi fiant; ſed multo plures, qui pereant. 8°. *Auguſtæ.* 1757.

Hoc Opuſculum tecto nomine edidit.

VII. *Conjectura prognoſtica, phyſico - moralis, aſcetica.* 8. *Auguſtæ.* 1767.

In hac ex perverſis mundi moribus, finem illius imminere, contendit. Neque huic Opuſculo ſuum nomen præfixit.

VIII. *Der an vielen Orten eingeladene Gaſtprediger, oder zerſchiedene Predigten an den Feſttagen Chriſti, Mariæ und anderer Heiligen, wie auch bey Primizen und Ordens - Profeſſen. fol. Augſpurg.* 1752. Secunda editio anno 1767. prodiit.

Ceterum de præſtantia & utilitate *Spicilegiorum Concionatorii*, & *Catechetico - Concionatorii* vel inde judicare licet, quod illa non ſolum *Auguſtæ* ſæpius cuſa, ſed etiam in oris exteris, puta *Venetiis* & alibi, recuſa fuerint, avideque excepta.

DEGEN (*Theodoricus*) Ord. Eremit. S.Auguſt.

Natione *Germanus*, patria *Auguſtanus*, Alumnus provinciæ Bavaricæ, vixit ſæculo XVII. Vir in omni politioris doctrinæ genere verſatus, omni

ni diligentia incubuit, ut probitati vitæ artium ſtudium conjungeret. Anima ejus die 2. Januarii, anno 1637. e corpore migravit. Luci expoſuit:

I. *Martyrographiam Auguſtinianam Georgii* MAIGRETII, a ſe germanice redditam. *Monachii*, 16 8. in 8°.

Extat in noſtra Bibliotheca *Monachii.* (*a*)

(*a*) Ita verbatim *P. Jo. Felix* OSSINGER in ſua *Bibliotheca Auguſtiniana*, *p.* 290. 291.

DIETHER (*Andreas*)

Patriam habuit *Auguſtam Vindelicorum* (*a*). In ea urbe, cum permagno litterarum amore teneretur, nec tamen ſatis (ut credibile fit) facultatum in eum finem poſſideret, præcipuos duos mecænates atque patronos nactus eſt: unum *Gereonem* SAYLERUM Doctorem medicinæ percelebrem, cujus per multos annos ſummis beneficiis cumulatum ſemet fatetur (*b*): alterum, *Marcum* EHEMUM (*c*) poſtea in Patritiorum ordinem adlectum, a quo *Joanni* PINICIANO, clari nominis Viro, de quo inferius ſermo in hoc Volumine recurret, in diſciplinam traditus (*d*) eſt. Succedente tempore, haud dubie ejusdem EHEMI interventu,

(*a*) Patet hoc ex Carmine *Noſtri*, una cum aliis aliorum Eruditorum præmiſſo: *Jo.* BOCATII *de Certaldo de Caſibus Virorum illuſtrium Libris IX. cura Hieronymi* ZIEGLERI; in quo ipſo ſe *Auguſtanum* vocat.

(*b*) In dedicatione Operis ſui: *Flores ſeu Sententiæ morales* &c.

(*c*) De Viro hoc videri poterit Vir Perilluſtris *Paulus a* STETTEN *ſenior* in ſua *Hiſtoria Auguſtana* vernacule ſcripta, *Tom. I.*

(*d*) Eorum, quæ de *Marci* EHEMI erga *Noſtrum* beneficentia affero, teſtem omni exceptione majorem habeo ipſummet *Noſtrum*, in Dedicatione *Hiſtoriæ ſacræ:* JOSEPH.

tu, *Noſter* tum *Argentoratenſem*, ubi *Michaelem* DELIUM (*e*) per id temporis hebraicæ linguæ Profeſſorem audivit : nec non *Wittebergenſem* Academias, ingenii excolendi cauſſa, inviſit.

Patrios lares repetenti juventus Auguſtana in Gymnaſio *Annæano* erudienda commiſſa eſt, eique *Claſſis ſecunda* aſſignata; quo id maxime anno, incertum. Circa annum MDXXXVI. accidiſſe innuit *Mart.* CRUSIUS, dum ad hunc ipſum annum ſic ſcribit: *Eum* (Xyſtum BETULEIUM) *Senatus inde* (Baſilea) *in patriam vocavit: qui magna cum laude & commodo juventutis Scholæ Annææ præfuit. Ejus collega erat Andr.* DIETHERUS, *vir doctus, præprimis carmine ſcribendo* (*f*). Cum CRUSIO concordat *Phil. Jac.* CROPHIUS, in Libro: *Hiſtoriſche Erzehlung vom Urſprung &c. des Gymnaſii zu St. Anna in Augſpurg*, *pag.* 17. niſi quod DIETHERUM noſtrum ſerius docendi muneri admotum velle videatur; ſed dum eundem *l. c. p.* 99. in *Catalogo chronologico eorum, qui in memorato ludo docuerunt*, usque in annum 1553. rejicit, certe fallitur CROPHIUS; prout ex deſignatione Opuſculorum abs *Noſtro* editorum, inferius apponenda, haud difficulter erui poteſt.

Munus autem ſuum ita adminiſtravit *Noſter*, ut & ſupra laudatus CROPHIUS *l. c. p.* 17. debitis eum laudibus minime (*g*) privandum duxerit: & *Jo. Andr.*

(*e*) Quanti DELIUS fecerit *Noſtrum*, teſtatus eſt *Epiſtola commendatitia*, *Hiſtoriæ ſacræ* JOSEPH a *Noſtro* editæ, præmiſſa: nec non *Carmine de nonnullis moribus quibus in menſa pueri ſe mutuo exerceant*, citatæ *Epiſtolæ* annexo.

(*f*) *Mart.* CRUSIUS *Rer. Suevic. Dod. III. p.* 631.

(*g*) Verba *Phil. Jac.* CROPHII hæc ſunt: „ Obgleich „ zu vermuthen, das der Præceptor der zweyten Claſſe, „ *An-*

Andr. FABRICIUS (*h*) eidem locum inter claros ejus ætatis Grammaticos tribuendum eſſe judicarit. Superſedeo hoc loco repetere, quæ ſuperius in laudem *Noſtri* a CRUSIO dicta ſunt. Anno demum MDLIV. una cum conjuge & liberis, relicta urbe Auguſtana, *Ingolſtadium* ſeceſſit. Hujus ſeceſſionis in cauſſa fuiſſe Juris diſcundi conſilium, monet CROPHIUS *l. c. p.* 18. verum cum *eadem pagina* affirmet, ſcholæ *Annœanæ* præceptores illo tempore mox, ubi aliunde ſpes melioris fortunæ affulſit, muneri ſuo renunciare ſolitos fuiſſe, merito ſuſpicor, DIETHERUM veram animi ſententiam Jurisprudentiæ addiſcendæ obtentu texiſſe. Utcunque ſit, eundem paulo poſt ſupremis fatis conceſſiſſe, ſæpius citatus CROPHIUS *p.* 18. conjicit. At certiora de obitu *Noſtri* afferunt *Annales Academiæ Ingolſtadienſis*, a *Jo. Nepom.* MEDERER editi, *Tom. I. p.* 256. ex quibus *Noſtrum* anno MDLXI. diem ultimam oppetiviſſe, eumque a *Caſpare* MACRO *Albimœnio*, artis oratoriæ in Academia *Ingolſtadienſi* tum Profeſſore, extemporanea oratione laudatum fuiſſe diſcimus: in qua oratione *Macer* noſtrum *Andream*, ſuum Collegam & Amicum ſuaviſſimum, appellavit.

Scripta, a *Noſtro* edita, repperi ſequentia:

I. *Hiſtoria ſacra* JOSEPH, *quæ nobis præclarum divinæ Providentiæ & Paſſionis Chriſti Redemptoris, charitatisque Joſeph, pudiciſſimi adoleſcentis, exemplar demonſtrat, jam denuo ex Bibliis in formam Comædiæ*

„ *Andreas* DIETHER, deſſen Geſchicklichkeit aus ſeiner
„ *Anweiſung zum Verſe machen*, und denen *aus dem Ovidio geſammleten Lehrſprüchen*, die er zu *Augſburg* 1548.
„ herausgegeben, bekannt iſt, das ſeinige möge gethan
„ haben. “

(*h*) In Opere: *Abriß einer allgemeinen Hiſtorie der Gelehrſamkeit, P. III. p.* 207.

mœdiæ redacta & editá. Auguſtæ. 8°. *Apud Philipp. Ulhardum.*

Hanc *Noſter* anno 1544. XVI. Kal. Decembr. *Marco* EHEMO dedicavit.

II. *Theſaurus contexendarum Epiſtolarum, formandæque linguæ ad imitationem Ciceronianæ dictionis locupletiſſimus. Auguſtæ.* 8°. 1544.

Vidi hanc Editionem in Bibliotheca Cænobii *San-Udalricani*, Auguſtæ. Hinc corrigendus *Chriſtian. Gottlieb* JOECHER, qui in ſuo Opere: *Gelehrten Lexicon*, ait: *Noſtrum* jam anno 1505. *Dortmundiæ* hunc *Theſaurum* vulgaviſſe. In eadem Bibliotheca extat alia hujus *Theſauri* editio, curis ſecundariis *M. Hanardi Gamerii Moſæi*, impreſſa *Coloniæ Agrippinæ.* 8°. 1577.

III. *Flores ſeu ſententiæ morales ex Ovidii Naſonis Operibus congeſtæ. Adjectæ ſunt Formulæ poëticæ ad verſus condendos utiliſſimæ. Auguſtæ.* 1548. 8°. *Apud Philipp. Ulhardum.*

Hunc libellum *Noſter Raphaeli* SAYLERO adoleſcenti, filio *Gereonis* SAYLERI Medici, inſcripſit. Confer. *Phil. Jac.* CROPHII *Hiſtoriſche Erzehlung vom Urſprung &c. des Gymnaſii zu St. Anna in Augſpurg. p.* 17.

IV. *Ferdinandi* CORTESII *Hiſtoria Hiſpaniæ novæ.*

Hanc, germanice a *Noſtro* verſam, *Xyſtum* BETULEIUM ſuæ *Hiſtoriæ* anno 1550. *Auguſtæ* excuſæ inſeruiſſe, monet *Chriſtian. Gottlieb* JOECHER *l. c.*

V. *Converſio Pauli*, Comædia. 8°. *Baſileæ.* 1553.

VI. *Vincula Petri*, Comædia. 8°. *Baſileæ.* 1553.

Has duas Comædias una cum ſuperius annotata Comædia: *Joſeph*, citata in urbe impreſſa fuiſſe, tradit

tradit *Joſ.* SIMLERUS in *Bibliotheca*, & *M.* LIPENIUS in *Biblioth. philoſoph.* p. 325. inde merito arguendus, quod *l. c. p.* 466. ſupra laudatum *Theſaurum contexendarum Epiſtolarum* perperam *Joann.* DIETHERO cuidam adſcribat. Confer, ſi lubet *Georg. Matth.* KOENIGII *Bibl. vet. & nov.*
Hæc ſunt Opuſcula *Noſtri*, quæ haſtenus indagare mihi licuit; quibus, ſi lubet, adde *Carmen*, quinquaginta duo Verſuum, quo *Joann.* BOCATIUM *de Caſibus Virorum illuſtrium*, anno 1544. *Auguſtæ*, abs *Hieronymo* ZIEGLERO, Ludimagiſtro *Annæano* ibidem, Collega ſuo, editum decoravit. Neque dubium eſt, hoc officii, illa ætate uſitatiſſimi, genus pluribus Amicorum ſuorum exhibitum a *Noſtro* fuiſſe.

DILBAUM (*Samuel*)

Civis, ut ſe vocat, *Auguſtanus.* Ab eo extat: *Dreyfacher Ritterſtand. Kurze und ſummariſche Verzeichnuß von Unterſcheid, Sorten uud Orden aller Ritterſtände in der ganzen Chriſtenheit &c. Zu Ehren dem wohlgebornen H. H. Philippo* FUGGER, *Freyherrn zu Kirchberg &c. Aus des Hieronymi* MEGISERI *Tractat in teutſche Reimen geſtellt.* 4°. *Augſpurg.* 1593. (*a*)
Quendam *Samuelem* DILPAUM inter didaſcalos Scholæ *San-Annæanæ* Auguſtæ, haud dubie *noſtrum*, ad annum 1555. recenſet *Phil. Jac.* CROPHIUS in *Hiſtoria* vernacule ſcripta *ejusdem Scholæ*, *p.* 99.

(*a*) Vidi in Bibliotheca D. *Jo. Bapt. de* BASSI p. m. quondam *Decani* Eccleſ. Colleg. ad *S. Mauritium*, Auguſtæ.

DIONYSIUS *a S. Euphroſina*, Ord. Carmelit.

Patria *Auguſtanus*, Dialecticæ, Rhetoricæ & Poeſeos apprime peritus, ſcripſit tum latinis tum

ger-

germanicis verſibus Meditationes de Paſſione Domini, ſub titulo:

I. *Compaſſivæ Meditationes, ſeu morales Reflexiones, rythmice deductæ ex* 32. *Imaginibus, de amore, paſſione, & morte Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Auguſtæ.* 1738. (*a*)

(*a*) Ita de *Noſtro* Liber: *Abhandlung vom Urſprung &c. des Ordens Mariæ vom Berg Carmelo.. beſchrieben in Latein von Joanne* TRITHEMIO... *anjezo... herausgegeben von P. F.* MAXIMILIANO *a S. Joſepho.* 4°. *Stadt am Hof.* 1747.

DREZLERUS (*Joannes*)

Civis *Auguſtanus*: Juris utriusque Doctor, aut (prout ipſe ſe alibi vocat) Jurisconſultus practicus: Conſiliarius Comitum *a* ZOLLERN, præcipue D. *Eitel Friderici* ex eadem nobili proſapia, cujus ſervitio ſe circa annum 1582. (*a*) mancipavit, & ſingulari benignitate ac munificentia fruitus eſt: ſubin & DD. FUGGERORUM Advocatus: *Jo. Henrico* REHLINGERO & *Friderico Raymundo* IMHOFIO affinitate conjunctus, uti ex infra dicendis patebit, edidit ſequentia:

I. *Nihil Baldum ignoraſſe; ſubtilis Diſputatio Baldi de Ubaldis Peruſini* (vulgo: *Accuſatus de vi turbativa*, appellata) *per Joann.* DREZELER *J. U. D. celeberrimum.* 4°. *Auguſtæ.* 1595.

Vide *Eliæ* EHINGERI *Catal. Bibl. Auguſt. fol. p.* 76. Extat etiam in Bibliotheca Cænobii *San - Udalri-*

(*a*) Teſtatur hoc ipſe DREZLERUS, dum in Dedicatione Operis: *Nihil Baldum ignoraſſe; ſubtilis Diſputatis &c.* data 1594. *Auguſtæ* ad *Joannem Georgium* filium D. *Eitel Friderici* Comitis in Hohenzollern ait: *Cum a tempore nativitatis tuæ... ſub maxime illuſtris Parentis tui ſtipendio integris jam* duodecim *annis militaverim.* Et per totam Dedicationem in laudes ejusdem *D. Eitel Friderici* effunditur.

dalricani Auguſtæ. Dedicatio Operis a *Noſtro* dirigitur ad generoſſmum Adoleſcentem *Joannem Georgium*, unicum filium D. *Eitel Friderici* Comitis in *alto* ZOLLERN &c.

II. *Auguſtini* BEROII, *Juriſconſulti Bononienſis* (*b*) *ætate ſua abſolutiſſimi*, *Conſiliorum Volumina III. &c. &c. Summariis*, *argumentis*, *& concordantiis deciſivis per Joann.* DREZLERUM *Juriſconſultum practicum*, *Ill. D. D.* FUGGERORUM *Advocatum, civem Auguſtanum noviſſime adjectis &c. &c. Auguſtæ.* 1601. 3. *Tomi. Apud Joannem Prætorium.*

Vide *Eliæ* EHINGERI *Catal. Bibl. Auguſtanæ. fol. p.* 324. *& ſeqq.* Habetur etiam in dicta Bibliotheca *San - Udalricana.* Dedicatio *primaria* a *Joanne Henrico* REHLINGERO, & *Friderico Raymundo* IMHOFIO, qui hoc Opus BEROII impenſis non exiguis revocare ſub incudem decreverant, dirigitur ad *Henricum* Epiſcopum Auguſtanum. Sequitur inter alia *Carmen* ſatis prolixum *Noſtri* (quo ipſo ſe etiam artis poëticæ peritiſſimum demonſtravit) & *ſecundaria* Dedicatio, quam *Noſter* ad *Georgium*, *Antonium* & *Albertum* FUGGEROS fratres, Comites in Kirchberg &c. ſcripſit; in qua ipſa ait: „ Proinde cum duo nobiles Viri & inclytæ hujus „ Reipublicæ Patritii (Puta REHLINGERUS & IM„ HOFIUS) *Affines mei perjucundi* hæc Volumina „ impenſis non exiguis ſub incudem revocare de„ creverunt, meam qualemqualem operam inter„ pellaverunt, ut e ſuppellectili pertenuis mei the„ ſauri, quam ultra viginti abhinc annos variis di„ verſarum litium anfractibus aſſiſtendo, & clienti„ bus probe conſulendo, labore haud vulgari, mi„ hi

(*b*) De BEROIO videri poteſt PANCIROLUS *de claris Interpretibus Juris.*

„ hi comparaveram; nonnullas *Concordantias* ip-
„ ſius BEROII *Conſiliis* particulatim adjicerem &c.
„ &c. "

Hæc de laboribus *Noſtri* litterariis dicta ſunto. Obiit anno MDCVIII. teſte Epitaphio ſequenti.

Clariſſ. & Doctiſſimi. J. C.
Joannis. Drezleri.
Minſterienſis. Weſtphalicæ. Sarmat.
Comitum. a. Zollern. Conſiliarii.
Conjugis. Amantiſſ.
Uxor. Mœſta. P.
XVII. die. Februarii. Anno. P. Chr. N. M DC IIX.
Hoſpes. Moribunde.
Bene. Precare. Animæ. (*c*)

(*c*) Exhibet hoc Epitaphium *Daniel* PRASCHIUS inter *Epitaphia Auguſtana*, *P. I. pag.* 69. Cum PRASCHIO conſentit *Jo.* SCHELLENBERGER, *Hochzeit - Regiſter*, 4º. maj. oblongo, quod ſervatur in Bibliotheca *Veithiana* Auguſtæ, in quo *Noſter* anno 1608. obiiſſe dicitur, relicta *Anna Maria Rochin*, (in Exemplari MSSto memorati *Regiſtri Nuptiarum*, quod poſſidet V. Cl. D. *Georg. Gulielm.* ZAPF, vocatur *Rochuſſin*) quam anno 1590. 21. Februar. in matrimonium duxerat.

ELERS (*Bonaventura*) Ord. Prædicat.

Sequentem de *Bonaventura* noſtro notitiam mecum benigne communicavit Vir pereruditus, R. P. *Claudius* PERINET, ejusdem Dominicanæ familiæ in Conventu *Auguſtano* alumnus.

„ P. F. *Bonaventura* ELERS, *Herfordiæ* in
„ Weſtphalia natus anno 1674. die 29. Auguſti ex
„ parentibus Lutheri doctrinæ addictis, patrem
„ habuit primo Paſtorem, dein Medicinæ Docto-
„ rem. Abſolutis ſtudiis (*a*) cum Archimimo *Sa-*
„ *xo-*

(*a*) Studiorum cauſſa parentes *Noſtrum* primo *Jenam* mittere decreverant; ſed mutato conſilio eundem in A-

„ *xonico*, hiſtrionem agens, regiones pervagatus,
„ *Auguſtam* pervenit, & per mirabilem Dei provi-
„ dentiam ad gremium Eccleſiæ Catholicæ voca-
„ tus, Fidei orthodoxæ profeſſionem in Eccleſia
„ Prædicatorum Auguſtæ, *P. Hyacintho* FERLER,
„ poſtea Theologiæ Magiſtro, emiſit anno 1700.
„ die 6. Decembr. Feſto S. Epiſcopi Myrenſis *Ni-*
„ *colai*, anno ætatis ſuæ 26. Sequenti anno 1701.
„ a ven. Conventu *Auguſtano* in Prædicatorum Or-
„ dinem ſuſceptus, ſacroque habitu 30. Auguſti
„ *Kirchemii* indutus, anno revoluto ſacram Pro-
„ feſſionem emiſit. Primum Sacrum celebravit an-
„ no vitæ trigeſimo in Feſto SS. Trinitatis, die 14.
„ Junii, anno 1704. Emenſis vero ſtudiis verbi Dei
„ prædicationi totum ſe dedit, nec infeliciter eo
„ munere per 8. annos, in Eccleſia Monialium
„ Ord. S. Dominici ad *S. Urſulam* Auguſtanæ ur-
„ bis, functus eſt; quo toto tempore huic operi di-
„ vino inſudavit, ſimulque *Socii* munus geſſit *No-*
„ *vitiatus* Auguſtani FF. Clericorum. Cum vitæ
„ integritate, diſciplinæque regularis ſtudio, ac mo-
„ rum ſuavitate fulgeret, ad regimen vocatus: &
„ Conventui *Bambergenſi* anno 1715. præeſſe juſ-
„ ſus: triennio autem ſuo expleto, anno 1718.
„ *Magiſter Novitiatus* formalis FF. Clericorum
„ *Medlingæ*, & *Subprior* factus eſt; quo munere
„ magna cum charitate & ſummo ſpirituali profe-
„ ctu per 12. annos defunctus, anno demum 1729.
„ Auguſtam evocatus: & *Confeſſarius* Monialium
„ ad *S. Catharinam*, ſimulque *Concionator cateche-*
„ *ticus* inſtitutus; anno vero ſequenti *Prædicatoris*
„ *gene-*

cademiam *Regiomontanam* ablegarunt: Ibi cum *docto*, *fa-migerato & ad fidem catholicam converſo Syncretiſta* amicitiam contraxit, quæ initium amplectendæ orthodoxæ Religionis *Noſtro* fuit. Ita ipſe de ſe teſtatur in *Concione* interius *No. III* allegata.

„ *generalis* titulo & honoribus inſignitus eſt. Ve-
„ rum anno 1732. a FF. Prædicatoribus *Fribur-*
„ *genſibus* in *Priorem* electus, triennio ei familiæ
„ præfuit; quo finito *Confeſſarius* Monialium
„ *Sueſſenſium*: mortuo autem die 16. Novembr.
„ *Auguſtani* Conventus Priore, Prædicatore gene-
„ rali, *Fr. Carolo* EFFNER, 1736. a ſuo nativo
„ Conventu *Prior*: demum in Capitulo provincia-
„ li, Auguſtæ 1737. celebrato, *Præſes* Capituli
„ creatus eſt. Menſe vero Julii, 2da die, Priora-
„ tum reſignavit, & ſuum *Confeſſionatum* repetiit,
„ per annos 12. munus hoc laudabiliter admini-
„ ſtrans; donec, ſecunda vice a ſuo nativo Con-
„ ventu 1748. ad Prioratum vocatus, eam digni-
„ tatem acceptavit, & anno 1749. die 13. Janua-
„ rii *laurea Magiſterii* inſignitus, triennium comple-
„ vit. Hunc vero honoris gradum bina vice nullo mo-
„ do conſcendere volens, a laboribus capeſſens re-
„ quiem, ut *Exprior*, aſſidue perlegendis Aſce-
„ tis operam dedit. Octogenarius, bis Jubilæ-
„ us, 1754. Primitias ſecundas celebravit die 9.
„ Junii, Feſto SS. Trinitatis, quo prius e cathe-
„ dra dicens ipſe ſuam converſionem annuntiabat
„ hoc themate: *Domine! Mirabilia opera tua; &*
„ *anima mea cognoſcit nimis. Pſ.* 138, 14. Viribus
„ demum fractus, vir morum ſuavitate mirabilis,
„ ſenex annorum 83. Deo & hominibus proba-
„ tus, in pace placidiſſime, erectis ad cælum ma-
„ nibus, obdormivit die 1. Novembr. Feſto om-
„ nium Sanctorum, plenus dierum & meritorum
„ 1757. circa meridiem."

Edidit Noſter, quæ ſequuntur:

I. DISCIPULUS *redivivus*, *ſeu Sermones* DISCI-PULI *dominicales*, *quadrageſimales*, *& feſtivales*. 4°. 2. *Vol. Auguſtæ*. 1728.

D 2 Sub

Sub DISCIPULI nomine latere voluit *Joannes* HEROLD SS. Theolog. Lector & Prior Conventus *Nürnbergenſis* Ord. Prædicat. qui anno 1468. *Ratisbonæ* obiit, auctor hujus *Operis* concionatorii; quod *Noſter*, *Directorio dominicali & feſtivali* a ſe inſtructum, melioremque in formam redactum, raritatis ergo excudi denuo curavit.

II. *Ehren - Cron des H. Prediger - Ordens, oder kurze Lebens - Beſchreibung der Heiligen und Seeligen beyderley Geſchlechts . . . welche in dem Orden* S. Dominici *mit beſondern Tugenden und Wiſſenſchaften geleuchtet haben.* 8. *Augſpurg.* 1729.

Hunc Libellum *Noſter* ex majori Opere . a P. *Friderico* STEIL Ord. Prædicat. SS. Theol. Profeſſore ſub titulo : *Luſtgarten &c.* edito , in compendium redegit , & in ſingulos anni dies digeſſit.

III. Concio ſuperius indicata , quam ipſe habuit in ſecundis Primitiis ſuis ; hujus Titulus eſt: *Mirabilia magna Dei , oder : Groſſe Wunder Gottes , eröffnet in dem göttlichen Geheimnuß des Altars , und erneuert in der . . . . Bekehrung P. Fr. Bonaventuræ* ELERS. &c. 4°. *Augſpurg.*

EMMANUEL *a S. Maximiliano* , Ord. Carmelit.

„ Germanus *Auguſta* oriundus, Rhetorices, „ Poëſeos , Philoſophiæ & Theologiæ apprime pe- „ ritus , nec non trium linguarum ſcientia excul- „ tus , ex Italico ANTONII *a S. Vincentio* conver- „ tit in germanicum idioma

„ I. *Soliloquia Thereſiana. Monachii.* 1739. „ Traduxit præterea in Teutonicum.

„ II. *R. P. Diotalevi S. J. Quadrageſimale.*

„ III. *R. P. Roſignoli S. J. Effectus memo- „ rabiles Exercitiorum S. Ignatii.*

„ IV. *S. Franciſci Saleſii Epiſtolas DCCCL- „ XXIV.*

„ V.

„V. *R. P. Oliverii Paradiſum Carmeli. NB.*
„ quoad Partem I.
„ aliaque plura. “ (*a*)

(*a*) Ita verbotenus Liber: *Abhandlung vom Urſprung &c. des Ordens Mariæ vom Berg Carmelo .... herausgegeben von P. F.* MAXIMILIANO *a S. Joſepho. 4o. Stadt am Hof.* 1747.

FABER (*Joannes*) Auguſtanus, Ord. Prædicat.

Hoc loco ante alia omnia monendus es, Lector! tres *Joannes* FABROS, S. Ordinis Prædicatorum alumnos, ineunte ac medio ſæculo XVI. claruiſſe. *Primus* eſt *Joannes* FABER patria (*a*) *Leutkirchenſis*, tandem Epiſcopus Viennenſis renunciatus. *Secundum* locum occupat *Joannes* FABER patria, ut plerumque fertur, *Helveto - Friburgenſis*, dictus *Auguſtanus;* quia ibi diutius vixit, *Priorisque* munus geſſit. *Tertius* denique eſt *Joannes* FABER, rectius FABRI patria *Heilbrunnenſis*, Concionator in æde cathedrali *Auguſtana* famoſiſſimus. De *primo* nil attinet dicere: de *ſecundo* vero, & *tertio* afferre libet, quæ indagare potui. Atque ut de primo dicam:

Joannes FABER, plerumque *Auguſtanus* dictus, SS. Theologiæ & Artium Doctor, patriam habuit *Friburgum* Helvetiæ oppidum; ſi ECHARDO & QUETIF in *Scriptoribus Ord. Prædicatorum, Tomo II. pag.* 80. fides habetur, iſtud ex eo conjicientibus, quod in *Oratione funebri*, MAXIMILIANO I. Cæſari habita, dicit: ZASIUS *noſter Friburgenſis.* Au-

 guſtæ

(*a*) De *Joanne* FABRO *Leutkirchenſi* videri poterunt ARNOLD *Kirchen - und Ketzer - Hiſtorie.* ECHARD & QUETIF *Scriptores Ord. Prædicatorum Tom. II.* SECKENDORF *Hiſtoria Lutheraniſmi. C. Ern.* KETTNERI *Diſſert. de Jo.* FABRI *Vita & Scriptis. Lipſiæ.* 1737.

guſtæ vero, ut videtur, in familiam S. Dominici cooptatus eſt; quin immo, cum ſe in Monumentis, quæ MAXIMILIANO Cæſari & FERDINANDO in Eccleſia ſui Ordinis *Auguſtæ* poſuit (de quo *Noſtri* erga hos Principes obſequio inferius dicam) diſerte *Auguſtanum* vocet his verbis: *Joannes* FABER, *Auguſtan. Theologus* & iterum: *Joannes* FABRI *Auguſtanus Prædicatorii Ordinis* (Vide P. *Corb.* KHAMM *Hierarch. Auguſt. P. I. cathedr.* p. 329. 330.) etiam patriam habuiſſe urbem *Auguſtam*: atque ob id ipſum conjecturæ ECHARDI & QUETIF, eum *Friburgenſem* facientium, minus locum eſſe, haud omnino temere judico.

Hic, uti ex inferius dicendis patebit, anno MDII. 24. Julii *Prior* Conventus Auguſtani conſtitutus, idem munus 17. annorum ſpatio adminiſtravit, ſuique regiminis tempore Eccleſiam Ordinis ſui, lapſum pæne minitantem, ampliſſimis Patritiorum, & Civium *Auguſtanorum* eleemoſynis adjutus, a fundamentis extruxit, teſtantibus id duobus Monumentis, adhucdum in Eccleſia memorata curioſo ſpectatori videndis, quæ exhibet P. *Corbinianus* KHAMM in *Hierarch. Auguſt. P.* I. *cathedr. p.* 307. *& ſeqq.* quorum *prius* quidem hoc loco apponere ſupervacuum judico, quod præter Benefactorum nomina vix aliud habeat, inſtituto meo conveniens; *poſterius* vero diſerte indicat, *Noſtrum* jam tum honorifica Ordinis ſui munia geſſiſſe. Eſt autem ſequens:

„ Lector aveto.

„ Fr. *Joannes* FABER Sacerdos, *Theologiæ*, *Arti-* „ *umque Doctor*, Ordinis Prædicatorum, Con- „ gregationis Germaniæ *Vicarius generalis*, *Prior* „ *Auguſtenſis*, ædem hanc ſacram, ruinam ob ve- „ tuſtatem minitantem, partim apoſtolicæ Sedis

„ be-

„ beneficio, partim vero civium eleemoſynis, LEO-
„ NE X. Pontifice maximo, ac MAXIMILIANO Pio,
„ Felice, Patre Patriæ, glorioſiſſimo Cæſare Rem-
„ publicam chriſtianam gubernantibus, Fabricæ
„ procuratoribus *Hieronymo* IMHOF & *Melchiore*
„ STUNZ Auguſtenſibus, maximis laboribus & in-
„ credibili cura Deo O. M. Mariæ Virgini, Mariæ
„ Magdalenæ, Joanni Evangeliſtæ, atque D. Do-
„ minico Ordinis Prædicatorum Parenti infra tri-
„ ennium (vix crede) a fundamentis fieri cura-
„ vit. Anno Chriſti MDXV. X. Septembr.

„ Vale, & abi.

„ Hoc volui, ut ſcires. “

Mox ſequentis anni, ſcilicet 1516. aliud exſtat Monumentum a *Noſtro* poſitum, hactenus omnino anecdotum, quod olim in ambitu Eccleſiæ P. P. Dominicanorum viſebatur:

„ Reſurrection. Mortalium,
„ Chriſto Deo Opt. Max. in tuba Archangeli voce venturo,
„ Divi Dominici Prædicatorii Ordinis Fundat. ac Patriarchæ
„ hic expectaturis Filiis
„ Frater *Joannes* FABER Vicarius generalis
„ CongregationisGermaniæ,ac Prior Auguſtenſis
„ Sibi atque Confratribus ſuis chariſſimis
„ vivens ob perhennem mortis imaginem
„ Monumenta hæc F. C.
„ Anno Salutis 1516.
26. Martii. “

Ad iſtum annum 1516. *Noſtri*, qua *Vicarii generalis &c.* ac *Prioris Auguſtani* mentio etiam habetur in *Chronico Auguſtano MSS^to^.* quod ſervat Bibliotheca noſtra, *FF.* VEITHIORUM Auguſtæ, *ab anno* 1457. *ad annum* 1586. excurrens. Simili-

ter *Noſtrum*, Monialium ad *S. Catharinam* Auguſtæ Ord. Prædicat. *Confeſſarium* fuiſſe, ad hunc annum memorat *Achilles Pirmin.* GASSARUS. (*b*)

Eodemmet anno, ſcilicet 1516. *Bononiæ Noſtrum* egiſſe, fors in tradendis ſacris Litteris occupatum ex LEANDRO probant ECHARDUS, & QUETIF. *l. c.* qui LEANDER *Noſtrum*, ut *virum usquequaque doctiſſimum* prædicat, *cujus doctrinam Gymnaſium Bononienſe totum hoc anno* (1516. quo hæc ſcribebat LEANDER) *eoquod de ſe periculum in re litteraria fecerat, admiratum eſt.* Neque a vero aberravit LEANDER; ipſemet enim *Joannes* noſter, in epiſtola ad *Bilibald.* PIRCKHAMERUM (*c*) 1519. 12. Auguſti data, *Bononiæ* diſputaſſe ſe contra ECKIUM, in eaque diſputatione COCHLAEUM amicum & fautorem habuiſſe profitetur. Inde in Germaniam reverſus MAXIMILIANO I. ob egregias dotes acceptiſſimus, ab eodemque a Concionibus Ordinarius, ac ab intimis animi conſiliis adſcitus, & imprimis carus ac familiaris fuit, uti etiam aulæ ejus principibus, *Matthæo* præſertim LANGIO Cardinali, Salisburgenſi Archiepiſcopo, ſummo Auguſti conſiliario; cujus munificentiam jam antea in condendo Templo ſenſerat.

Circa hæc tempora gravis exorta eſt in Ordine Prædicatorum controverſia Fratres *obſervantinos*, ut vocabantur, inter & eos, qui de congregatione teutonica erant: adeo ut cauſſa ad ſummum tribunal delata MAXIMILIANUS I. pacis reſtituendæ ſtudioſior, in Comitiis Imperii, Auguſtæ 1518. habitis, ſex *Commiſſarios* nominandos duxerit, ſcilicet

(*b*) Inter *Jo. Burch.* MENKENII *Script. Rer. Germ. Tom. I. p.* 1757.

(*c*) Extat hæc Epiſtola inter *Jo.* HEUMANNI *Documenta litteraria. p.* 87. digna, quæ tota legatur.

cet *Matthæum* Cardin. Salzburgenſem, *Bernardum* Epiſcopum Tridentinum, *Maximilianum de Berga, Cyprianum de Serentin*, *Jacob. Villingerum*, *Jo. Renner*, *Nicolaum Ziegler*: quibus iſtarum litium componendarum negotium demandavit. Verum cum illæ, erepto e vivis Cæſare, denuo recruduiſſent, multa inde in *Noſtrum* incommoda, moleſtiæque redundarunt; quas tamen prædictorum Commiſſariorum, ſibi oppido faventium, auctoritate patrocinioque feliciter depuliſſe videtur. Superant adhuc duæ in hanc rem epiſtolæ (*d*) a Commiſſariis anno 1519. 27. Julii ſcriptæ, una ad *Generalem* Ordinis, altera ad *Provincialem*; quarum prior in laudem virtutis ac doctrinæ *Noſtri*, ejusque commendationem ſequentia habet: „ Perſe„ quuntur (*Obſervantini*) magna perſecutione ho„ norabilem, nobis dilectum Fr. *Joannem* FABRUM, „ virum non modo nobis, verum & cæſareæ Ma„ jeſtati, civibusque Auguſtanis valde gratum & „ acceptum; & immerito quidem, cum is tot bo„ na Ordini veſtro cum doctrina, tum eruditione, „ quæ ſunt illi ſingulares, comparaverit. Cujus „ ſane perquam egregia opera, qualis ſit auctor ip„ ſe, demonſtrant, ut nullum ſit nobis dubium, „ quin ſi reverenda Paternitas veſtra ita hominem „ agnoſceret, ac nos, non modo nihil contra eum „ attentaret, ſed & benevolentia atque amore „ proſequeretur magno; & eo magis, quo nobis „ liquido conſtat, ipſum nihil unquam quicquam „ molitum eſſe, quod in minimo vitæ reformatæ „ inimicum eſſet: quum eam potius defenſaverit. „ Quod vero neque ipſe, neque ſacri Imperii ur„ bes, in quibus Congregationis monaſteria ſita „ ſunt, huic Provinciali ſive Provinciæ ſubjici pa-

(*d*) Servavit eas *Jo.* HEUMANNUS, *l. c. p.* 58.

„ tientur, non ſit abs re“ ..... Libet hoc loco in medium afferre, quæ *Noſter* in ſuperius laudata *Epiſtola* ſua ad *Pirckhamerum* de hac controverſia ſcripſit, ut eo facilius Lector intelligat, tum quæ horum diſſidiorum ſumma: tum quam delicatum acutumque *Noſtro*, quoad ſcientias docendique rationem, judicium fuerit: „ Nihil enim mo„ ror prorſus, immo ſummopere affecto reforma„ tam vitam, quam ipſi ſe dicunt optare; verum „ non eo pacto, quo ipſi eam excolunt. Fuit cæ„ ſareæ Majeſtati, perque eam mihi longe conve„ nientior, humanior, nec non æquior modus re„ ligioſe vivendi, quam hi homines hactenus ſint „ uſi. Neque bonas litteras theologicas abhominor, „ quin imo eas colam tractaboque, quoad vixero; „ ſed non juxta eorum inſtituta, ut qui a cunabu„ lis ſophiſmata ac ſuperfluas illas quæſtiones ſem„ per fugerim. Mallem vero ut theologia & ipſa „ latine loqueretur, tractaremusque divina myſte„ ria, quemadmodum veteres theologi tractarunt, „ *Auguſtin.* videlicet atque *Hieronymus*, *Picus* ve„ ro *Mirandulanus*, *Marſilius Ficinus* Politicos in„ ter modernos: eſſentque nonnulli ex Fratribus, „ qui græcas atque hebræas litteras noſſent. Ad „ hoc continuo laboravi, jamque res in finem de„ ducta eſſet, ſi Cæſar viveret: at eo mortuo om„ nes adhibebo conatus, ut potentiſſ. *Carolus* fa„ cta atque propoſita avi proſequatur. Quod ſi in „ finem deduxero, nemo me beatior, nemo felici„ or“ .... Sed de his ſatis.

Interim MAXIMILIANO I. ſupremis fatis functo, A. 1519. Imperii romani habenas capeſſivit CAROLUS V. cujus gratiam ſibi captandam ratus *Noſter*, ut apud hunc quoque Concionatoris ordinarii & Aulici munus obtineret, ambivit: quod

etiam

etiam eum conſecutum eſſe, credibile eſt. Certe ERASMUM *Rotterodamum* urgentiſſimas hac de re epiſtolas ad memorati Principis familiares, quibuscum illi tum ſumma ſtudiorum, tum animorum conjunctio fuit, uti ALBERTUM *Brandenburgicum*, *Card. & Archiepiſc. Moguntinum* anno 1520. 6. Octobr. ad *Mercurium* GATTINARIUM Cancellarium CAROLI V. anno 1520. 4. Octobr. ſcripſiſſe, monent ſæpius laudati ECHARD, & QUETIF. *l. c.* in quibus omnibus ERASMUS, uti etiam in Epiſtola ad *Præſulem*, & *Principem Leodienſem*, ad *Conradum* PEUTINGERUM Auguſtanum Jureconſultum, ad *Jacobum* VILLINGERUM, miris laudibus *Noſtrum* extollit, atque *ab ingenio prompto & expedito, judicio excuſſo, eruditione ſolida & abſtruſa, lingua feliciſſima, moribus candidis facilibusque, religione nequaquam fucata, prudentia ſingulari* ſingulariter commendat, interponens ſignificantiſſima hæc verba: *pertinere ad utilitatem Rei chriſtianæ publicam, ſimulque ſacri Imperii dignitatem, ut Noſter votorum ſuorum compos efficeretur;* quas epiſtolas, ſi libuerit, conſulere poteris. Anno memorato, MDXIX. duo Monumenta, unum MAXIMILIANO Imperatori, alterum PHILIPPO Maximiliani filio, fato functis, æternæ memoriæ ergo poſuit & parietibus Templi Ordinis ſui infixit. His anno ſequenti MDXX. duo alia addidit, FERDINANDO & CAROLO, *Philippi* filiis, ſacra. Extant hæc quatuor Monumenta adhucdum in memorato Templo: Summam eorundem exhibet *Corb.* KHAMM in *Hierarch. Auguſt. P. I. cathedr. p.* 329. 330.

Anno 1521. *Noſtrum* partes *Prioris* in Conventu Auguſtano etiamnum ſuſtinuiſſe, iidem ECHARD, & QUETIF. *l. c.* ex ERASMI Epiſtola, *Lib. XVI.*

n°.

1.° 16. *Vincentio* THEODORICI Harlemenſi, 1521. ſcripta evincere conantur.

Noſtri in avita Religione retinenda conſtantiam ad annum 1524. utut præter mentem, commemorat Auctor *Chronici MSS*ti *Auguſtani*, quod extat in Bibliotheca *FF.* VEITH Auguſtæ, *ab anno* 1457. *ad annum* 1586. in quo legitur: „ Auch in „ dieſem 1524. Jahr da hat es ſich zugetragen, das „ vil Schrifften ſein ausgangen von wegen D. *Mar-* „ *tin* LUTHER.... Dazu die beide, alt und nevv „ Teſtament, die heilig Geſchrifft vaſt in allen Stet- „ ten geprediget ward, alſo auch hie zu *Augſpurg* „ an allen Orten, ausgenommen im *Thom.*... und „ *zu den Predigern*, *Doctor Hanß* FABER; die blie- „ ben auf ihrem alten Brauch. "

Etſi vero *Noſter* initio ſingulari fuerit ERASMO neceſſitudine conjunctus, quod ille tum non videretur catholicæ doctrinæ adverſus, imo & LEONI X. & *Cæſari* acceptior; tamen ab eo poſtea deſcivit, ubi ille a ſummis Pontificibus reprobatus eſt. Hinc *Romam* progreſſus ejus plura redarguit; id quod ex ERASMI ipſius Epiſtola ad *Matthiam* KRETZERUM 1531. V. Idib. Mart. ſcripta colligunt laudati ECHARD & QUETIF. *l. c.* qui iidem, quod in memorata Epiſtola ERASMUS dicat: *Obiiſſe* (FABRUM) *nunc primum audio*, *Dominus illi miſereatur*, non inepte inferunt, *Noſtrum* vel anno 1530. vel certe anno 1531. ineunte fatis conceſſiſſe. Conſule, ſi lubet, citatos ECHARDUM & QUETIF, ex quibus multa verbatim deſumpſi.

Extant a *Noſtro* ſequentia:

I. *Oratio funebris in Depoſitione glorioſiſſimi Imperatoris Cæſaris* MAXIMILIANI *Auguſti P. F. in oppido Wels Auſtriæ, præſentibus Ill*mo *Principe, R. D. Matthæo Cardinale Tit. S. Angeli, Archie-*

piſco-

piſcopo Saltzburgenſi , Rev. D. Epiſcopo Tergeſtino, aliiſque Prælatis & Nobilibus quamplurimis habita anno Chriſti 1519. *die* 16. *Januar. eidem Cardinali nuncupata , cujus juſſu ſuſcepta & edita. Auguſtæ Vindel.* 1519. *Julii* 12. *in* 4to.

Extat inBibliotheca *San-Udalricana.* Adduntur in fine Epitaphia II. PHILIPPI *Regis Hiſpaniarum*,& MAXIMILIANI *Cæſaris* anno 1519. poſita; prout ea adhucdum in templo FF. Prædicatorum Auguſtæ viſuntur. Invenitur etiam hæc *Oratio* inter *Marquardi* FREHERI *Scriptores Rer. Germ. Tom. II. p.* 717. *ſeqq.* ubi tamen memorata duo Epitaphia non apparent , & *Burckard. Gotthelf* STRUVIUS in *Admonitione pravia Noſtrum* cum FABRO *Leutkirchenſi* turpiter confundit ; in quo ipſo a pluribus Scriptoribus erratum eſt.

II. *Epiſtola ad Bilibaldum* PIRCKHAMERUM *Norimbergenſem* , Virum in Republica litteraria inclytiſſimum , data *Auguſtæ* 1519. 12. *Auguſti.* Hanc ſuis *Documentis litterariis* inſeruit *Jo.* HEUMANNUS Profeſſor *Altdorfinus* , *pag.* 87. Ceterum magnopere allucinatus eſt idem Cl. Auctor , dum *Noſtro* ex *Catalogo illuſtrium Scriptorum Corn.* LOOS *Callidii* adſcribit , quæ *Joanni* FABRO *Heilbrunnenſi*, de quo mox dicam , adſcribenda ſunt. Sed neque iſtud , ſine mendis typographicis , factum.

Hæc duo Scripta ſi excipias , nullum aliud *Noſtri* Opus hactenus indagare potui ; etſi ſupra allata *Commiſſariorum* cæſareorum epiſtola ad *Generalem* Ord. Prædicator. diſerte affirmare videatur , *Noſtrum* plura eaque egregia edidiſſe ? Quin repetamus illius epiſtolæ verba : *Cum is* (FABER) *tot bona Ordini veſtro cum doctrina , tum eruditione ſua, quæ ſunt illi ſingulares , comparaverit : cujus ſane* perquam egregia opera , qualis ſit auctor ipſe , *ita demonſtrant , ut . . .* Deni-

Denique conveniens propoſito meo videtur hic apponere ea, quæ ſub effigie *Noſtri*, in periſtylio Templi Ordinis Prædicatorum Auguſtæ ſuſpenſa, leguntur:
„ R. P. F. *Joannes* FABER I. hujus nominis, SS. „ Theologiæ Artiumque Doctor, S. Ordinis Prædi- „ catorum, Congregationis Germaniæ Vicarius Ge- „ neralis, Auguſtanus dictus, Conventus hujus „ Filius, patria Friburgenſis Helvetus, magna- „ rum partium Vir, eruditione, pietate, & facun- „ dia, Catholicæ Fidei ſtudio clariſſimus, S. C. „ Majeſtatis MAXIMILIANI I. a Concionibus & in- „ timis conſiliis, & *Matthai* LANGII Patritii Au- „ guſtani, de Wellenburg, S. R. E. Cardinalis & „ Archi-epiſcopi Salisburgenſis Conſiliarius, Prior „ nativi ſui Conventus, electus die XXIV. Julii „ MDII. per 17. annos. A. C. MDXV. Templum „ a fundamentis intra triennium piorum Civium „ eleemoſynis fieri curavit. Conventum magna ex „ parte conſtruxit. MDXXX. obiit. "

FABER, rectius FABRI (*Joannes*) Heilbrunnenſis, Ord. Prædicat.

Optime feciſſe videtur *Noſter*, dum ſe in Librorum a ſe editorum titulis non *Joannem* FABRUM, ſed enim *Joannem* FABRI nominavit, eaque re ſe a præcedenti *Joanne* FABRO ſollicite diſtinxit. Hac cautione uſum eſſe *Noſtrum*, ne forte ſucceſſu temporis a Poſteris in perſonis erraretur, credibile ſit.

Aliud nomen *Noſtro* fuit, videlicet *Joannes* CUSSIUS; id quod ipſe teſtatur in Dedicatione Operis cujusdam ſui ad *Fridericum de* WIRSBERG Decanum Capituli cathedralis *Wirceburgenſis*, in qua ait: „Dem „ ehrwürdigen, edlen Herrn *Friderico von* WIRS- „ BERG &c. &c. ſeinem günſtigen Herrn und Me-

„ cæ-

„ cænaten wünſcht *Fr. Joannes* CUSSIUS, den man „ nennt FABRI, Thumprediger zu Augſpurg, Gnad „ und Friden." Patriam habuit *Joannes* HEILBRUNNAM, imperialem civitatem ad fluvium *Neccarum* ſitam: Ibi anno MDIV. in dias luminis auras, id quod ex Ejus *epitaphio* inferius apponendo liquet, natus eſt. *Wimpinæ*, quæ urbs, itidem imperialis, Hailbrunnæ vicina eſt, Ordini Prædicatorum ſeſe mancipavit. Exinde *Coloniam Agrippinam* ſtudiorum cauſſa miſſus, & *Wimpinenſis* ære civitatis ſumptuque ſuſtentatus ita emicuit, ut per omnes Scholæ agones laurea *Magiſterii* ibidem meruerit coronari (*a*). *Auguſtæ* dehinc, ſin minus ſtatim a primis exortæ *Lutheranæ* Reformationis temporibus, ut veroſimile ſit; at certe ab anno 1534. munus Concionatoris antemeridiani (*) Eccle-

(*a*) Vadem eorum, quæ hic narrantur, habemus ipſum *Noſtrum* in Dedicatione ad Senatum *Wimpinenſem*, RICHARDO *Pampolitano* a ſe edito, præmiſſa, in qua ait: *Ego vero cum iſtic* (Wimpinæ) *inter eruditos Patres ſub ſacra tunica inautoratus prima hujus religionis rudimenta mox a teneris unguiculis didicerim, ac eorundem cura, veſtraque liberalitate hic* (Coloniæ) *ſolidioribus theologiæ ſtudiis jamdudum imbutus fuerim &c.* Dedicatio hæc data eſt *Coloniæ* 1536. VIII. Idus Martii.

(*) *Extractum ex* Libro Prædicaturæ *Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ*, folio 133.

„ *Anno* 1558. *die* 27*ma* *Februarii obiit admodum Revdus* „ *& Religſus Pater Ordinis Prædicatorum* Joannes FABRI „ *Doctor, qui ſummo ſtudio laboravit ut fideliſſimus Miles* „ *& Cultor in Eccleſia Dei, malleus Hæreticorum.*

„ *Hic longo tempore* Eccleſiaſten cathedralem ante-me„ridianum *egit, ſcilicet a primis temporibus exortæ* Augu„ſtæ *Hæreſis, ſaltem ab anno* 1534. *quo in* Recenſiona„libus *de eo mentio fit. Multa ab Hæreticis perpeſſus, &* „*ſæpius a magnis Principibus, etiam a* CAROLO V. *expe*„*titus, cui aliquanto tempore adhæſit; deinde ad ſuam Ca*-

„ *the*-

Eccleſiæ cathedralis longo tempore ſuſtinuit. *Pragæ* quoque, in Bohemiæ regno per aliquot annorum ſpatium ſacri Præconis officium magna cum laude geſſit (*b*) Fidei hoſtes erudite ac ſtrenue refellens, & Catholicos in avita Fide confirmans. *Friburgi* inſuper *Briſgoiæ* moratus eſt, ibique coram Senatu Academico in Vigilia Nativitatis dominicæ e ſuggeſtu dixit; uti patet ex *N°. IX.* inferius, inter ejus ſcripta. Imo *Noſtrum* in Academia *Friburgenſi* laureas in Theologia recepiſſe, tradunt *Annales Academiæ Ingolſtadienſis*, a *Jo. Nepom.* MEDERER editi, *Tom. I. p.* 223. qui iidem *Annales* tum loco citato, tum etiam *p.* 225. *Noſtrum* inter *Inſcriptos* Academiæ *Ingolſtadienſis*, anni 1551. præcipue memorandos non ſine magnis laudibus

„ *thedram reverſus in ſuo* Auguſtano *monaſterio in ambitu* „ *ſub proprio lapide* (requiem) *invenit.*

„ *Poſt mortem* tanti *Concionatoris*, *cum diu de alio idoneo ſucceſſore inquireretur*, *tandem anno* 1559. *admodum* „ *Revdus P.* CANISIUS *S. J. Doctor ſucceſſit.* *Vide* Receſſionale ejusdem anni 20. April. 14. & 21. Junii. 27. „ Sept. &c.

Hæc omnia fideliſſime excerpta eſſe ex Libro originali ad Prædicaturam pomeridianam *pertinente atteſtor propria manu & ſigillo meo conſueto nobili*

(L. S.)

Carolus Ignatius L. Baro a BADEN *cathedralis Eccleſiæ Auguſtanæ Canonicus capitularis*, *pro tempore Prædicator pomeridianus*, *Eccleſiæ principalis Elvacenſis Capitularis & ſummus Scholaſticus, nec non Celſmi Principis & Electoris Moguntini*, *ac Sereniſſmi Electoris Trevirenſis & Epiſcopi Auguſtani Conſiliarius intimus, inclyti Ordinis S. Georgii Commendator & Decanus*, *die* 30. *Aprilis.* 1769.

(*b*) Hoc factum ſuſpicor circa annum 1537. quo Clerus *Auguſtanus* ob exorta Religionis diſſidia urbe deceſſit.

dibus accenſent, eumque demum anno 1552. *doctoralia Theologiæ inſignia* in mox memorata Academia, promotore *Petro* CANISIO S. J. accepiſſe teſtantur.

Ingenium ejus doctrinamque, & exantlatos labores apoſtolicos multum prædicarunt *Cornelius* LOOS *Callidius*, & *Tilmannus* BREDEMBACHIUS. *Prior* (*c*) ſic ait: „ *Joannes* FABRI *Hailbrunnæ* ad „ fluvium Neccarim natus, perraræ indolis adoleſ„ cens cherubinum prædicatoriæ familiæ inſtitu„ tum amplexus eſt, utque erat felici & præcellen„ ti ingenio præditus, ſtudiorum rerumque omnium „ eruditam cognitionem aſſecutus eſt, quam mox „ ſplendidiorem dabant ſingularis vitæ ſinceritas & „ ſuſpicienda pietas. Sumpta theologicæ profeſ„ ſionis purpura, *Auguſtæ Vindelicorum* divini ver„ bi miniſterio præficitur; quo munere magna Ec„ cleſiæ utilitate & celebri nominis ſui fama annos „ aliquot ſtrenue & graviſſime functus eſt. Erat „ enim præter eruditionem inſigni ornatus facun„ dia, & dicendo copioſus; uti ejus *prædicationes* „ multa verborum elegantia ſcaturientes, quarum „ uſus paſſim frequens, teſtimonio eſſe queunt, „ ac cetera ipſius in lucem edita. " *Poſterior* (*d*) in hæc verba loquitur: *Quorum* (Scriptorum pro Fide avita) *in catalogo non infimum locum meretur Rev. Vir D. Joannes* FABER, *quondam Eccleſiaſtes Auguſtanus, qui tam ſtrenue, tam generoſe, tanto cum zelo . . . colluctatus eſt, ut ſempiternam*

(*c*) In *Catalogo Scriptorum illuſtrium Germaniæ*. 8. *Moguntiæ*. 1581.

(*d*) In Dedicatione ad *Joannem* Archiepiſcopum *Trevirenſem*, præmiſſa *Vitæ regiæ Noſtri*, a ſe latinam in linguam traductæ, *Coloniæ*. 1563.

num memoriam & perpetuum præconium apud omnes Bonos promereatur. Magnum eſt in vinea Domini laborare, fodere, paſtinare. Majus eſt . . . capere vulpeculas parvulas demolientes vineam. Multo maximum, teneros racemos atque adeo univerſam vineam ejusmodi fulcris fulcire & undique conſepire, ut noxiæ illæ . . vulpeculæ nusquam irrepere, nusquam demoliri poſſint. Univerſa hæc præclare præſtitit hic noſter Auctor (FABRI) *nam apud Auguſtam Vindelic. in æde metropolitana compluribus annis paſtoris & eccleſiaſtæ munus non minori cum laude, quam diligentia obivit. . . Atque ut ampliſſimam Chriſto . . meſſem referre poſſet, editis variis libris veram. . Religionem . . docuit, aſſeruit. . . Porro quod has ſuas pro catholica Fide lucubrationes germanico idiomate conſcripſit, non alia eum ratione feciſſe patet, quam ut Germaniæ inteſtinis bellis & in Religione diſſidiis mire & miſere id temporis tumultuanti ſuccurreret &c. &c.*

Annum obitus *Noſtri* ignorarunt ECHARD & QUETIF *in Scriptoribus Ord. Prædicat. Tom. II. p.* 161. quorum laboribus in hac narratione, imo & verbis, ex parte utor. Hinc conjecturis agunt; ſed controverſiam omnem *epitaphium* illius, quod in ambitu Eccleſiæ Ordinis S. Dominici *Auguſtæ* adhucdum cernere eſt, dirimit. Eſt autem ſequens:

Anno MDLVIII. die XXVII Februarii obiit
Rever. Pater *Fr. Joannes* FABRI ab *Hailbrunn*,
Ord. Prædicat. S. Theologiæ Doctor,
Et Cathedralis Eccleſiæ Auguſtanæ
Concionator catholicus & famoſus.
Anno ætatis ſuæ LIIII.

Tanti porro Concionatoris, & Propugnatoris avitæ Fidei, jacturam haud melius ſarcitum iri crediderunt ſacri (quorum intererat) Proceres, quam ſi

ſi eidem celeberrimi nominis virum, *Petrum* CANISIUM ſuccedere juberent.

Scripta *Noſtri*, tum ab ECHARDO & QUETIF *l. c.* recenſita, tum a me noviter per Bibliothecas inveſtigata, ſunt:

I. RICHARDI *Pampolitani Anglo-Saxonis Eremitæ Enarrationes in Pſalmos omnes, & in Pſalmum XX. in quædam Capitula Libri Job. in Threnos Hieremiæ. in Orationem dominicam. Symbolum Apoſtolorum & Athanaſii. Quibus acceſſerunt ejusdem Opuſcula tria. 1. De emendatione peccatoris. 2. De incendio amoris. 3. De amore ſummo. fol. Coloniæ.* 1536.

Hoc opus a ſe emendatum, recognitum & notis marginalibus illuſtratum, adjectis Indicibus, dicavit *Noſter* Senatui *Wimpinenſis* civitatis. At notandum, quod & ECHARDUS ac QUETIF in *Addendis*, ad finem *Tomi* II. *Scriptorum Ord. Prædicat. p.* 6. notarunt: primam Editionem hujus Operis, a *Noſtro* adornatam *Coloniæ.* 1535. in 8. apud *Melchiorem Noveſianum* prodiviſſe, nuncupatam a *Noſtro* ornatiſſimo Viro R. P. *Wendelino* SCHOLER ab *Heilbrunn*, Dominicanorum in *Wimpina* Rectori ac Primario.

II. *Quod Fides eſſe poſſit ſine charitate, Expoſitio pia & catholica.* 4°. *Auguſtæ,* 1548. *menſe Septembri. Apud Philipp. Ulhardum.*

Dedicavit hanc lucubrationem *Noſter* anno 1548. 1. Septembr. *Wilhelmo* juniori, Baroni in WALTBURG &c. Prodiit iterum anno 1553. 4to. titulo paululum variato: *De Fide juſtificante, & an ſola eſſe poſſit?*

III. *Enchiridion Bibliorum concionatori in popularibus declamationibus utile. Auguſtæ.* 1549. item *Coloniæ.* 12°. 1568.

Hoc *Noſter Chriſtophoro de* MADERUTSCH Cardin. Epiſc. *Tridentino* anno 1549. 23. Mart. ſacravit.

IV. *Auff die Frag:* ob die Heilig Bibliſch ſchrifft könne und möge zu ſchaden des Menſchen ge-

 braucht

braucht werden, dieweil ſy allain zu gutem, troſt und hayl des Menſchen verlaſſen? *Getreue und kurze antwort, auch gepredigt.* 4. *Augſpurg. Apud Philipp. Ulhardum.* Opus a *Noſtro*, anno 1550. 24. Junii, *Melchiori* Epiſcopo *Wirceburgenſi* dedicatum habetur in Bibliotheca quondam *Societatis Jeſu.*

V. *Von Ankunft und Herkommen der Römiſchen Biſchöffe, von Petro bis auf Julium III. und die Nahmen aller Cardinäle, ſo jezund, 1550. bey Leben ſind: auch von des Römiſchen Reichs Monarchey ... oder Volgung der Römiſchen Kayſer von Jul. Cæſare bis auf Carolum V.* 1550. 4to. *Augſpurg. apud Philipp. Ulhardum.*

Hoc opus *Noſter* dicavit anno 1550. 7. Octobr. *Chriſtophoro* Epiſcopo *Conſtantienſi.* Conſule *Catalogum Biblioth. Bunavianæ, Tom. III.* Extat in Bibliotheca *San-Udalricana* Auguſtæ.

VI. *Chriſtenliche Unterweiſung an die Widertauffer, von dem Tauf der jungen Kindlein: und von der geiſtlichen und weltlichen Obrigkeit an die Widertauffer gepredigt.* 4°. *Ingolſtadt.* 1550.

Dedicatio anno 1550. 20. Julii a *Noſtro* ad *Othonem Truchſeſſium* Card. & Epiſc. *Auguſtanum* dirigitur. Extat in Bibliotheca *San-Udalricana* Auguſtæ.

VII. *Von dem Ayd ſchwören: auch von der Widertauffer Marter, und woher entſpring, daß ſie alſo frölich .. die Peyn des Tods leyden: und von der Gemeinſchaft der Widertauffer, gepredigt.* 4°. 1550.

Hanc concionem *Noſter Mauritio* Epiſc. *Eiſtettenſi* 1550. 20. Julii dedicavit. Extat in memorata Bibliotheca.

VIII. *Fructus, quibus dignoſcuntur hæretici, eorum quoque nomina ex Philaſtrio, Epiphanio, Auguſtino, Euſebio &c. & quibus armis devincendi.* 4to. *Ingolſtadii.* 1551. *apud Alexandr. & Samuel. Weyſſenhorn.* Præ-

Præfigitur Dedicatio *Noſtri* ad *Wilhelm.* BOECKLIN Curiæ invictmi & cathol. Cæſar. CAROLI V. Marſcallum & Conſiliarium, data 1550. 12. Decembr. *Auguſtæ.* *Opus*, ut monent ECHARD & QUETIF. *l. c. merito legendum &c. &c.*

IX. *Oratio pia & elegans, ad ſacram & inclytam Univerſitatem Friburgenſem Brisgoiæ, in Vigilia Nativitatis Chriſti, anno* 1545. *habita.* 4°. *Ingolſtadii.* 1551.

Extat in Bibliotheca *San-Udalricana*, Auguſtæ, In fronte occurrit Dedicatio *Noſtri* ad *Franc. Manrique de* LARA Epiſc. *Aurienſem*, 1551. 8. Januar. exarata.

X. *Ein ſehr ſchöner Beweiß und chriſtenlicher Grund von Haltung des Conciliums, ſo zu Triendt den erſten May anno* 1551. *angefangen.* 4to.

Reperitur in dicta Bibliotheca. Dedicatio *Noſtri* ad *Fridericum de* WIRSBERG, Decanum Capituli cathedralis *Wirceburgenſis*, ſcripta eſt. Ad finem Tituli legitur: *Durch den wolgelerten Fr. Johannem* CUSSIUM, *den man nennt* FABRI, *Thumprediger zu Augſpurg.*

XI. *Teſtimonium Scripturæ & Patrum: B. Petrum Romæ fuiſſe, primumque ibidem epiſcopum ſub Nerone martyrium paſſum, ac fundamentum Eccleſiæ dici.* 8. *Dillingæ.* Item *Antverpiæ*, 1553. 8°.

Editio *Dillingana* habetur in Bibliotheca *San-Udalricana.* In Dedicatione, 1552. VI. Kal. Octobr. ad *Chriſtophorum* FUGGERUM, Dom. in Kirchberg & Weiſſenhorn data, ait MAMERANUS, editor hujus libri: *ſe illud a Noſtro, qui antea adverſus M.* FLACCUM *Illyricum paraverat, accepiſſe.*

XII. *Der rechte Weg, was die heyligen Apoſtel und ihre Nachkömmling in den Glaubſtucken,*

Sacramenten, und andern Ordnungen der heiligen chriſtlichen Kirchen gelehrt 4°. 1554. *Dillingen.*

Dedicatio *Noſtri* præmittitur ad *Eberhardum* Epiſcopum *Eiſtettenſem*, ſcripta 1553. 20. April. Extat in Bibliotheca antedicta. Exponitur hoc Libro *Jeremiæ Cap.* VI, 16. *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis &c.* Latine verſum a *Tilmanno* BREDEMBACHIO hortatu *Antonii* RESCII Ord. Præd. Theolog. Doctoris prodiit *Coloniæ* 1563. hoc titulo: *Via regia, quo itinere fidelis debeat ambulare, ut ad ſempiternam requiem & pacem perveniat, ex verbis Hieremiæ prophetæ: State ſuper vias &c. Cap. VI. pro concione explicata.* In Dedicatione ad *Joannem* archiepiſcopum *Trevirenſem* BREDEMBACHIUS ſupra allatum encomium *Noſtro* tribuit. Hujus Libri editionem aliam *Dillingæ* 1569. in 8°. factam affirmant ECHARDUS & QUETIF *l. c.* quin addant, an latinam an germanicam?

XIII. *Waß die Evangeliſch Meß ſey, gründliche und chriſtliche Anzeigung.* 4°. *Dillingen.* 1555. (iterum *Dillingæ.* 1558. 4to. & in 8vo. 1599. *ibidem*, teſtibus ECHARDO & QUETIF *l. c.*)

Dedicavit hoc Opus *Noſter* 1555. 19. April. Imperatori FERDINANDO. Prima editio extat in Bibliotheca *San-Udalricana* Auguſtæ. Latine verſum a *Laurentio* SURIO Carthuſiano prodiit *Coloniæ*, 1556. in 12°. *Antverpiæ*, in 12°. 1559. *Pariſiis*, 1558. in 8vo. *Ibidem*, 1564. in 16°. & iterum 1567. in 16°. Gallice verſum a *Nicolao* CHESNEAU *Rethelenſi* exiit *Pariſiis* 1664. in 8°. V. ECHARD & QUETIF. *l. c.*

XIV. *Johel der Prophet chriſtenlich und trewlich zu beſſerung der Glaubigen ausgelegt und gepredigt.* 4°. *Dillingen.* 1557.

Præ-

Præcedit Dedicatio *Noſtri* ad *Senatum civitatis Gamundiæ*, data 1557. 26. Februar. Idem Opus a *Tilmanno* BREDEMBACHIO latine converſum prodiit *Lovanii*, 1563. in 8°. *Pariſiis*, 1578. in 8°. *Antverpiæ*, 1589. in 12°. uti docent ECHARD & QUETIF. *l. c.*

XV. *Ernſtliche chriſtliche Warnung an das edl Bayerland wider das läſterbuch, ſo ein Sectmaiſter haimlich on ein Namen liſtiger Weiß in Bayrn hin und her ausgebreitet.* 4°.

Opus 1557. 2. Auguſti dicatum ALBERTO Palatino Rheni, utriusque Bavariæ (inferioris & ſuperioris) Duci. Extat in Bibliotheca *San-Udalricana*, Auguſtæ.

XVI. *Antwort auff das unnütz, unrein, irrig geſchwetz Matthiæ* FLACCI *Illyrici, ſo er geſchriben wider das büchlein, genannt:* Rechter Weg; *und auff ſeine* 23. *ſectiſche Argument, ſo er geſchriben an Oeſterreich und Bayern wider die Evangeliſche Meß.* 4. *Dillingen.* 1558. Dedicatio a *Noſtro*, data 1558. 6. Januar. Auguſtæ, dirigitur ad FERDINANDUM, *Auſtriæ* Ducem &c.&c. Extat in Bibliotheca quondam *Societatis Jeſu*, Auguſtæ. Haud diu, poſt editum hoc Opus, ſuperſtes manſit *Joannes* noſter, quippe quem ſequenti menſe *Februario* mors vivis eripuit, ut ex ſupra dictis liquet.

XVII. *Ein chriſtlicher, rainer, ungefelſchter Catechiſmus für die Jugent ... jez auffs new getruckt ...* *Dillingen.* 8. 1563. Extat in dicta Bibliotheca.

XVIII. *Ein nutzlich Beichtbüchlein, wie der menſch ſich ſeiner ſünd erinnern, und die bekennen ſoll.* *Dillingen.* 1563. 8. Extat *ibidem* Opuſculum hoc aut poſthumum, aut certe reimpreſſum.

XIX. *Precationes chriſtianæ, devotione & pietate plenæ, ex ſacris litteris & D. Auguſtino ſingulari ſtudio concinnatæ & ſelectæ. Dillingæ.* 1579. Vide *Eliæ Ehingeri Catalog. Biblioth. Auguſt. p.* 214. Ceterum hujus Libri eadem ratio eſt, ac prioris. Recuſus eſt *Coloniæ* 1581. in 12°. item Germanica lingua 1590. in 24° *Friburgi in Uchtlandia.*

Reſtat, errores revincere, in quos Scriptores nonnulli (quod ad *Noſtrum* attinet) lapſi ſunt. 1°. SIMLERUS in ſua *Bibliotheca* Libros *Noſtri*, ſuperius *N°. XIII. & XIV.* allegatos, FABRO *Leutkirchenſi* male admodum adſcribit; nam *Noſtri* eſſe & ECHARD & QUETIF. *l. c.* affirmant, & ego certo ſcio, quippe quos oculis meis uſurparim. 2°. POSSEVINUS tribuit *Noſtro* libellum: *Declamationes de miſeria vitæ humanæ*, quas FABRI *Leutkirchenſis* eſſe cum ECHARDO & QUETIF. *l. c.* novi. 3°. In *Bibliotheca Bodleiana Noſtro* adjudicatur *Oratio funebris in Depoſitione Maximiliani Auguſti*, quam ECHARDUS & QUETIF. *l. c.* bene FABRO *Auguſtano*, de quo prius egi, afferunt.

Ceterum, quanta *Noſtri* ævo ſuo fama fuerit, quanta Libros ejus legendi habendique cupido, tum ex iteratis eorundem editionibus, tum ſuſceptis traductionibus quivis nullo negotio colligere poteſt; ut hinc, ſi quæ forte ab adverſariis ſiniſtre de *Noſtro* dicta fuerint vel ſcripta, facile confutentur.

Coronidis loco hic adfuere juvat, quæ ſub effigie *Noſtri*, in periſtylio Templi Ordinis Prædicatorum *Auguſtæ*, extante ſcripta reperiuntur:

„ R. P. F. *Joannes* FABRI II. hujus nominis, SS. „ Theologiæ Doctor, S. Ordinis Prædicatorum, „ *Hailbrunenſis* a patria dictus, cum in hac urbe „ imperiali ad Neccarum natus anno MDIV. Wim-

„ pinæ

„ pinæ etiam urbe imperiali , Hailbrunæ vicina , „ Prædicatorum amplexus eſt Ordinem MDXX. Filius proin conventus Wimpinenſis. Exin Coloniam Agrippinam ſtudiorum cauſſa miſſus ita emicuit , ut ibi per omnes ſcholæ agones laurea doctoratus (*e*) meruerit coronari. Auguſtæ Vindelicorum paulo poſt agens , a Præſule LVII. „ D.D. Reverendiſſimo *Chriſtophoro* L. B. *de* STADION MDXXXIV. delectus cathedralis Eccleſiæ Theologus & Eccleſiaſtes antemeridianus ordinarius , famoſus , qui ſummo ſtudio laboravit , ut fideliſſimus miles & cultor in Eccleſia „ Dei , multorum librorum auctor , acatholicos „ erudite & ſtrenue refellens & catholicos in avita Fide religione ſingulari , vitæ ſinceritate , pietate & celebri nominis ſui fama confirmans , „ pius, a magnis Principibus expetitus , etiam a „ CAROLO V. Cæſare. Obiit hic Auguſtæ MDLVIII. die XXVII. Februarii. Anno ætatis LIV. „ In periſtylio cum epitaphio requiem invenit. “

(*e*) Cautius hæc interpretari oportet.

GLETTLE (*Joſeph Bernardus*)

Percelebrem hunc Jureconſultum orbi litterato *Auguſta* , ferax optimorum ingeniorum mater , dedit anno reparatæ ſalutis MDCLIIII. Is Themidis amore captus , totum ſe juris ſtudio dedidit , in cujus cognitione eos progreſſus fecit , ut non ſolum *Doctoris* lauream (*) promeritus ſit , ſed etiam juris publice docendi munus in *Dillingana* primum,

E 5 ſubin

(*) *Doctoris in utroque Jure* dignitatem *Noſter* in Academia *Ingolſtadienſi* adeptus eſt , prout teſtantur ad annum MDCLXXXI. *Annales* ejusdem *Academiæ a Jo. Nepom* MEDERER editi , *P. III. p.* 42. his verbis : *Joſ. Bernard.* GLETTLE *Profeſſor Inſtitut. Imperial. Dillingæ ordinarius & actualis.*

ſubin etiam in *Salisburgenſi* Univerſitate acceperit. Et *Dillingæ* quidem *Inſtitutiones* juris auditoribus ſuis explanavit: *Salisburgi* vero *Pandectarum* libros prælegendi anno 1684. initium fecit. Ab anno dein 1688. *Codicis* & *Juris publici* arcanis enucleandis inſudavit, in album quoque Conſiliariorum Archiepiſcopi *Salisburgenſis* merito adſcriptus, usque ad annum 1696. quo ipſo naturæ debitum exſolvit, morte præmatura humanis ereptus, magno ſui deſiderio, nec minori nominis ſama relictis, cum annos 42. (*a*) vixiſſet.

Quanquam autem ſolida (*b*) Jurisprudentiæ ſcientia *Noſter* antecelluerit multos, & in publico docendi munere omni cum laude probitateque verſatus ſit, tamen efficere haud potuit, ut duriuſculis nonnullorum ſermonibus & iniquioribus cenſuris, jam

(*a*) Conſule *Hiſtoriam Univerſ. Salisburgenſ. p.* 375. 376.

(*b*) Quantum in id incubuerit *Noſter*, ut tum ipſe ſentiret ſolide, tum ſolide alios doceret, teſtantur ipſa illius verba in *Præfatione* ad ſuam *Jurisprudentiam fundamentalem*, ubi ait: „Quam multos reperias, qui do„ctrina ſufficiente non inſtructi, ac neſcio qua intem„perie ad ſcribendum abrepti.. id dant ſæculo, quod „pudorem mox ſuis excutiat auctoribus. Hi, *dum ſen„tentias non examinant, dum ordine ſua non digerunt, ſed „temere chartis illiniunt*... futilia, non utilia... ex alie„no ſine fronte ſublecta, non electa... in lucem pro„trudunt. Hinc ſententia vix ulla hodie tam abſurda, „quæ patronum non inveniat &c. &c.“ Et ſub finem hæc habet: „Definitiones accuratiſſimas procudere co„nabor, non ignarus, quantum momenti in iis ſit po„ſitum. Cum enim eſſentiam cujusque rei exhibeant, „in ſola definitione tota quaſi materia uno velut obtutu „ſtudioſo lectori ſiſtitur... Diviſionibus quoque accu„rate concinnandis ſtudebo... Fundamenta ubique ſoli„da conabor adſtruere, ac ubi licebit, rationes quoque „ſubnectam, illas quidem paucas, firmas tamen & ad „convincendum intellectum idoneas &c.“

jam fatis extremis functus, minus vapularet. Horum cauſſa extitit Libellus, *Argentinæ* (ſi fas eſt credere) anno 1714. ſine auctoris & typographi nomine vulgatus hoc titulo: *Legis Amortizationis, & Immunitatis eccleſiaſticæ Anatomia*, in quo cum auctor, adverſus Immunitatem eccleſiaſticam pro lege Amortizationis totis viribus militans, ſe diſcipulum *Noſtri* venditet, itemque in frontiſpicio & præfatione affirmare non dubitet, „ memoratum Librum a *Noſtro* adhuc vivente com„ poſitum: a duabus Facultatibus, theologica & „ juridica, jam approbatum: prædivitum tamen „ *Benedictinorum* invidia, aut RRmorum DD. Ab„ batum, Præſidis & Aſſiſtentium Univerſitatis *Sa„ lisburgenſis*, blanditiis, precibus atque promiſſis „ fuiſſe ſuppreſſum," ob id peſſima *Joſepho Bernardo* nota hæſit; cujus tamen non minimam cauſſam ipſe præbuiſſe videtur. Nam, cum anno 1686. Quæſtiones aliquot, eccleſiaſticæ Immunitati minus amicas, diſputationis gratia compoſuerit, & per modum Theſium juridicarum arenæ ſcholaſticæ deſtinaverit (etſi, ubi tum abs Cenſoribus ordinariis juridicarum elucubrationum, tum a Superioribus academicis, tum ab ipſomet Theſium Patrono intellexit: ſententias, eccleſiaſtico ſtatui contrarias, virorum eccleſiaſticorum calculo roborari non poſſe, manum de tabula moverit, aliamque materiam, nempe *partem alteram de Teſtamentis*, luci & concertationi publicæ adornarit) facile fieri potuit, ut hæc lucubratio vel ex toto, vel ex parte, vel etiam excerptim, in manus alicujus minus probi minusque conſulti hominis ſiniſtro fato incideret, qui eadem, *Noſtro* maxime invito, peſſime abuteretur, magna inde nominis infamia in *Joſephum Bernardum* redundante. Hinc

bene

bene concluſit P. *Franciſcus* SCHMIER (*c*) a quo hæc pleraque mutuatus ſum : „ Videat igitur , quisquis „ calumnioſo hoc Scripto Viri pientiſſimi ac de Re„ publica litteraria optime meriti ſepulchrum inva„ dere , ac *Opus cum Auctore quaſi ſepultum* , ad in„ juriam Univerſitatis noſtræ (*Salisburgenſis*) ex„ trahere præſumpſit , ne ob plura in uno facino„ re delicta obtorto , ut aiunt, collo in jus rapiatur. “ Hucusque *P.* SCHMIER. Lenius de *Noſtro* judicat *Hiſtoria Univerſitatis Salisburgenſis*, 4to. dum aſſerit *p.* 376. larvatum illum partus ſuppoſititii editorem GLETTLEII nomen eo ſolum ementitum eſſe, ut tanti viri auctoritate Opus ſuum fulciret : impoſtorem malevole egiſſe , nomenque clariſſimi GLETTLEII noſtri falſo momordiſſe.

Sed præſtat, modo ad ea Opera recenſenda pergere , quæ *Noſtrum* vere auctorem habent :

I. *Aſſertiones juridicæ ex univerſo jure ſelectæ.* 4o. 1685. item 1708. *Salisburgi.*

II. *Jus civile ad normam Inſtitutionum accurata methodo concinnatum.* 8o. 1685. *ibidem.* Quarta Editio , *ibidem* 1727. 8o.

III. *Tractatus canonico - civilis de Teſtamentis. Pars* I. *ibidem.* 1685. item *ibidem* 1705. 4to.

IV. *Tractatus canonico - civilis de Teſtamentis. Pars II. ibidem.* 1686. item *ibidem* 1725.

V. *Jurisprudentia terribilis , ſeu Tractatus juridicus de Criminibus & Delictis in genere & in ſpecie , nec non Proceſſu criminali.* 4o. *ibidem* 1687. item *ibidem* 1708. 4to.

VI. *Tractatus juridicus de Criminibus publicis in genere ac ſpecie , de Crimine Majeſtatis* &c. 4to. *ibidem* 1688. item *ibidem* 4to. 1708.

VII.

(*c*) In *Jurisprudentia canonico - civili , Tom. II. Lib. III. pag.* 543.

VII. *Selectæ Juris Quæſtiones ex Parte I. Pandectarum. ibidem* 1688. item *ibidem.* 4°. 1705. *ex Parte II. Pandectarum. ibidem* 1688. item *ibidem.* 4°. 1725. *ex Parte III. Pandectarum. ibidem* 1695. item *ibidem.* 4°. 1714. *ex Parte V. Pandectarum. ibidem* 1692. item *ibidem.* 4°. 1727. (*d*)

VIII. *Jurisprudentia fundamentalis, ſeu prima & immota Principia totius Jurisprudentiæ.* 4°. *ibidem* 1691.

IX. *Selecta Juris publici. fol. ibidem* 1693. item *ibidem.* 4°. 1708.

X. *Tractatus de Pactis & Contractibus, antehac in alma & epiſcopali Dillingana Univerſitate publicæ diſputationi expoſitus, nunc in gratiam Studioſorum denuo evulgatus.* 4°. *ibidem* 1714.

Hunc *Tractatum* in Recenſione Operum *Noſtri* prætermiſit *Hiſtoria Univerſitatis Salisburgenſis.* p. 376.

XI. *Tractatus juridicus poſthumus* 1714. de quo ſuperius fuſe egi; ſi tamen *Noſtro* adſcribendus eſt.

XII. *Jus planum & controverſum.* Hoc, *tribus voluminibus* comprehenſum, MSStum reliquit, teſte *Hiſtoria Univerſit. Salisburgenſ. l. c.*

(*d*) Miror, *Noſtri* Lucubrationes in *Partem IV. VI. VII. Pandectarum* non prodiiſſe in lucem; cum tamen ex *Privilegio Cæſareo* annexo *Aſſertionibus juridicis*, *Noſtri*, de anno 1708. pateat, has typographum *ex Auctoris MSStis* novæ, quam paravit, editioni *Operum* omnium GLETTLEII addere voluiſſe.

GLETTLE (*Jo. Melchior*)

Haud dubie *Auguſtanus*, & *Noſtro* cognatus edidit:

I. *Expeditiones muſicæ.* 4°. *Aug. Vindel. Apud Göbelium*, 1670. (*a*)

GUGL

(*a*) Ita teſtatur *Theoph.* GEORGI in *allgemeinen Bücher-Lexikon.*

GUGL (*Thomas*)

Hujus Viri notitiam debeo *Franciſco Antonio* KHAGER Conſiliario eccleſiaſtico *Eichſtettenſi*, & Canonico ad S. Emmeramum in civitate *Spalt*, municipi & amico meo in paucis charo, qui & ipſe editis variis Libris nomen ſuum orbi litterato commendabile fecit.

Fuit *Thomas* noſter, cæſareus ac pontificius Notarius, Advocatus *Auguſtanus*, ediditque

I. *Modicum, oder diſer Welt kurzes Schauſpihl, in welchem alles, ſo von anbeginn der Welt in dem Volk Gottes, in der aſſyriſchen, perſiſchen, griechiſch - und römiſchen Monarchie bis auf jezt regierenden Kayſer* CARL *VI. in weltlichen Regiment ſich begeben hat, vorhin von einer andern arbeitſamen Feder herausgegeben, nunmehr aber vermehrt und gebeſſert.* 12°. *Augſpurg.* 1728. *Apud Joſephum Grueber.*

Extat etiam in Bibliotheca *San - Udalricana* Auguſtæ.

GUTWILLIG (*Martinus*) Ord. S. Bened.

Natus ſæculo ſuperiore, Ordinem *S. Benedicti* in monaſterio *SS. Udalrici & Afræ* Auguſtæ profeſſus; ut *Scriptor aſceticus*, & *Mathematicarum rerum bene peritus*, laudatus a *PP. Magnoaldo* ZIEGELBAUER & *Oliverio* LEGIPONTIO, ejusdem Inſtituti alumnis (*a*): novi horologii ſciaterici inventor (*b*). Obiit anno 1762. teſte lapide ſepulchrali, in periſtylio ante - dicti monaſterii:

Anno

(*a*) In *Hiſtoria litteraria Ord. S. Benedicti*, *Tom. III. p.* 604. item *Tom. IV. p.* 731.

(*b*) Hujus ſequentem ideam ipſe ſcriptam ſubmiſit ſupra laudatis *Magnoald.* ZIEGELBAUER & *Oliverio* LEGIPONTIO:

„ Anno 1762. 10. Junii obiit A. R. P. *Martinus* „ GUTWILLIG hujus imperialis monaſterii Capitula- „ ris, ætatis, 74. profeſſionis, 54. ſacerdotii, 49. „ R. I. P. "

Vidi a *Noſtro* Libellum ſacrarum precum, hoc titulo:

I. *Enſemes, das iſt: geiſtlicher Sonnen-Brunnen.* 4°. *Augſpurg.* 1728.

HALLER (*Leonardus*)

Quæ de *Leonardo* allaturus ſum, unice in acceptis referre debeo ſollerti induſtriæ D. *Franciſci Antonii* KHAGER, jam ſuperius a me laudati: qui cum in epiſcopali Bibliotheca *Eichſtettenſi*, & in Bibliotheca *Vicariatus* ibidem, Codices MSS^tos^ *Noſtri* repperiſſet, non ſolum deſignationem eorum, quæ continent, ſubmiſit; ſed etiam, in iisdem hinc inde occurrentes, circumſtantias vitæ *Leonardi* noſtri fide diligenterque excerpſit; ita ut HALLERUM de ſe ipſum loquentem audire nobis liceat, teſtem videlicet omni exceptione ſuperiorem.

Quæ patria HALLERO fuerit, in incerto eſt: *Norimbergenſem* fuiſſe, conjicit D. KHAGERUS. Cla-

TIO: „ 1°. Non habet hoc ſolare horologium acum magneticam, quæ ſæpius fallit, & tarde omnino ſubſiſtit, „ neque ſemper eandem habet a polo declinationem. „ Quapropter hoc novum horologium nullum a propinquo ferro patitur obſtaculum; ſed ubique locorum exponi poteſt. 2°. Monſtrantur in eo non ſolum ſinguli „ horæ quadrantes, ſed etiam minuta per annum. Unde „ *horologii univerſalis* nomen ſibi jure vendicat. 3°. Ventorum nomina ſupra horizontem inſculpta gerit: lineam meridionalem oſtendit in omnibus hemiſphæriis; adeoque terra & mari uſui eſſe poteſt. 4°. Gaudet iſtud horologium iis „ prærogativis, ut nullum aliorum horologiorum vitium „ habeat, & in multis aliorum virtutes ſuperet. " Vide *Hiſtoria litterar. Ord. S. Bened. Tom. IV. p.* 731.

Claruit autem ſæculo XVI. ferme medio. Anno MDXXXIII. in adminiſtranda parochia S. Petri *Monachii* D. *Antonium de* AERSING, qua ſedulus operarius, adjuvit (*a*). Inde anno MDXXXIV. *Auguſtam* venit, eo evocatus ab Abbate *Joanne* KOENLIN, ut in Eccleſia *SS. Udalrici & Afræ* verbum Dei populo annunciaret (*b*) eamque parochiam regeret. In eo templo Dominica Sexageſimæ anni prædicti primum ad concionem dixit (*c*): ſed haud diu tranquille hoc munere fungi ei licuit; namque variis Religionis diſſidiis *Auguſtæ* exorientibus 23. Julii, ejusdem anni, Senatus urbis miſſis ad memoratum Abbatem internunciis inter alia poſtulavit, ut HALLERUS cathedra prohiberetur (*d*). Nihilominus biennii ſpatium ibi manſit, quo elapſo ob conſtantiam in fide catholica prædicanda expulſus *Monachium* denuo ſeceſſit. Ibi patronos nactus eſt *Chriſtophorum de* SCHWARZENBERG & *Leonardum ab* ECK, qui mutuum conſilium inierant, HALLERUM ad Sacellani, Ducis Bavariæ, dignitatem provehendi; verum hoc negotio optatum exitum non ſortiente, *Noſter* relicto *Monachio*, ubi dies decem ſubſtiterat (*e*), *Eichſtadium* ſe contuliſſe videtur. Ibi majore in honore habitus, & ad varias dignitates promotus eſt. Fuit in ea urbe

(*a*) Ipſe HALLERUS de ſe, in Dedicatione Libri: *Stanislai* HOSII *Card. de Verbo Dei*, germanice a ſe verſi, allegandi a me inferius *No. II.* Item in Tractatu: *Auf das allerkürzeſte Verzeichnuß, wie es* &c. Vide inferius *No. IV.* 2.

(*b*) Ipſe HALLERUS de ſe, locis citatis.

(*c*) Vide inferius *No. IV.* 1.

(*d*) HALLERUS de ſe, in Tractatu: *Auf das allerkürzeſte Verzeichnuß, wie es. &c.*

(*e*) HALLERUS de ſe in Dedicatione Libri: *Stanislai* HOSII *Card. de Verbo Dei.*

be *Canonicus ad S. Wilibaldum*: fuit *Mauritii ab* HUTTEN, *Eichſtettenſis* Antiſtitis *Suffraganeus*, titulum *Philadelphienſis* epiſcopi *in partibus*, anno 1540. 5. Decembr. ſortitus (*). Anno 1548. rurſus *Auguſtam*, eo evocatus (haud dubie ad verbum Dei prædicandum) venit, licet invite aſſenſum præbente Epiſcopo *Mauritio* (*f*). Anno MDL. occaſione *Jubilæi*, pietati ſuæ ſatisfacturus, pedes Romam peregrinatus eſt (*g*). Anno MDLII. fatis concedente *Mauritio*, epiſcopo *Eichſtettenſi*, ſucceſſor ejus *Eberhardus ab* HIRNHEIM, & poſt hunc *Martinus a* SCHAUMBERG *Noſtro* Suffraganei dignitatem confirmaverunt. Atque hic poſtremus epiſcopus, *Martinus* videlicet, quantam tum probitatis tum doctrinæ *Noſtri* fiduciam habuerit, vel ea re ſola quam clariſſime oſtendit: quod, cum illis temporibus celebratiſſimum Concilium œcumenicum *Tridentinum* haberetur, ante alios omnes *Noſtrum*, ut eidem intereſſet, ablegarit. Iter hoc aggreſſus eſt *Leonardus* MDLXII. 22. Junii: *Tridenti* appulit 2. Julii ejusdem anni: negotio ſibi demandato optime functus ſuos reviſit anno MDLXIII. 18. Octobr. (*h*). Quid ab eo tempore usque ad diem obitus ſui, per ſeptennii fere ſpatium, geſſerit, me penitus latet. Deceſſit autem e vita anno MDLXX. ſequenti epitaphio, etiam poſt fata ſuprema, a *Martino* epiſcopo honoratus:

Reve-

(*) Vide LABBÆI & COSSARTII *Concilia.* fol. *Tom. XX.* *p.* 201.


(*f*) Ipſe HALLERUS in *Libro Rationum accepti*, p. 76.

(*g*) Idem *ibidem*, *pag.* 110. his verbis: *Præſenz, weil a die tertio Martii bis auf den XIII. May der jubilæiſchen Kirchfahrt zu fuſs gen Rom, Loredam, Venedig verrichtet, hab ich dennoch gehabt* 9. *glden, und* 5. *patzen.*

(*h*) Idem *ibidem*, *pag.* 216.

Reverendo in Chriſto Patri & eximiæ pietatis Viro
LEONARDO HALLER
Epiſcopo Philadelphiæ,
Mauritii, *Eberhardi*, *Martini*
Epiſcoporum Ayſtad. in pontificalibus Vicario,
qui zelo catholicæ Religionis flagrans,
Ardens devotione,
Miſericordiæ chriſtianæque pietatis
Operibus exercendis indefeſſo ſtudio incumbens,
plenus dierum,
XXV. Martii, A°. MDLXX.
pie in Domino obdormivit.
Rev^{mus} & Ill^{mus} Princeps *Martinus* Epiſc. Ayſtad.
hoc monumentum poni curavit.
Illius animæ viſitantes Sacellum pie precentur. (*i*)
Inſignia *Noſtri* hic ſubjecta vides.

Jam



(*i*) Invenitur in *Libro Rationum accepti*, cum ſequenti epigraphe: *Epitaphium D.* HALLERI *ſepulti in Sacello cœmeterii* (* *Oſten*, id eſt: orientali).

Jam tempus monet, catalogum Operum a *Noſtro* ſcriptorum texere. Sunt illa partim edita, partim inedita. De *editis* primo loco dicam.

I. *Grundt - und Kundtſchaft aus göttlicher Geſchrift und den hailigen Vättern, daſ Fleiſch und Blut Jheſu Chriſti im Ambt der hailigen Meß durch geweyhte Prieſter wahrhaftiglich geopfert werd... in VII. Predigen klärlich angezeigt.* 4to. 1553.
Dedicatio data eſt 1553. 31. Mart. ad *Eberhardum ab* HIRNHEIM, Epiſcopum *Eichſtettenſem*: in ea rogat *Noſter*, has Conciones vultu benigno ſuſcipiat *Eberhardus*: „ Gib derohalben Euer Gna- „ den ... des Wercks anfang, welches unter „ meinen händen wechst. " In fine Operis pollicetur auctor, ſe harum Concionum plures vulgaturum: „ Wo vermerckt (*wird*) daſs du wirſt dich „ ihr (*der* 7. *Predigen*) nutzlich gebrauchen, ſo „ ſollen ander mehr, die ſchon vorhanden, auch „ in kurz an Tag kommen. " Extant in Bibliotheca *San - Udalricana* Auguſtæ. Conſule inferius, No. *III.*

II. *Von dem hellen, dieſer Zeit, von vilen hochberümbten, klaren und offenbaren Wort Gottes ein Erlauterung - und Warnungs - Schriſt ... Stanislai* HOSII *Cardinalis*, *verteutſcht.* 4to. *Ingolſtadt.* 1559.
In dedicatione anno 1559. 16. Januar. ad ALBERTUM Palatinum Rheni, Ducem utriusque Bavariæ &c. profitetur *Noſter*, ſe ab *Otthone* TRUCHSESSIO Cardinale & Epiſcopo *Auguſtano*, interventu *Martini de* SCHAUMBURG Eccleſiarum *Auguſtanæ* & *Eichſtettenſis* Canonici, ad hujus Libelli verſionem fuiſſe excitatum.

Inedita ſunt, quæ ſequuntur:

III. *Codex MSS^tus continens CLXII. Conciones de Miſſæ Sacrificio.* Germanice.

Incipit: „ Entſchuldigung, warum die allertieff-„ ſten Haimligkaiten der H. Meſs zum Tail in teut-„ ſcher Sprach gemain und zu leſen geben ſind „ worden, an den Hochwirdigſten in Gott Vatter, „ Fürſten und Herrn H. *Michael* Ertzbiſchoffen zu „ *Saltzburg* und gebornen Legaten des H. Römi-„ ſchen Stuls geſtellt durch *Leonhart* HALLER Bi-„ ſchoff zu Philadelphia, und Weichbiſchoff zu „ Eyſtet. " Sequitur Pars I. complectens XXVI. „ Conciones. Succedit Pars II. comprehendens „ XXXIV. Conciones, quibus per modum Dedi-„ cationis præfigitur: „ Anzeigung und Bewei-„ ſung, aus was Urſachen teutſchen Landen nit „ ferr mögen ſeyn werden gröſſe und beſchwärli-„ che Aenderung, an *Wolfgang* Biſchoffen zu *Paſ-„ ſau.* " Pars III. continet LVIII. Conciones, quibus loco Dedicationis præmittitur: „ Was Gottes „ Gemecht und Werck in Erſchaffung Himmels „ und Erden: auch volgents in der Einſezung des „ hochwirdigſten Sacraments des Altars hab für „ merkliche und groſſe Unterſcheid, an *Georgen* „ Biſchoffen zu *Regenſpurg.* " In concione XXI. hujus III. Partis fit mentio anni, quo illæ confectæ fuerunt, his verbis: *Im fünften Jahr unſers Vatters Pabſts Julii, und im andern Jahr zu Eiſtet Biſchofs Eberharden von Hyrnheim.* id eſt: 1554. Pars IV. & ultima, quæ Concionibus XLIV. abſolvitur, caret Dedicatione.

Scias velim, Lector! *Partis I.* priores *ſeptem* Conciones typis eſſe vulgatas: prout ſuperius *N^o. I.* a me indicatum fuit. Hinc in ipſo *Codice*, mox a me deſcripto, usque ad Concionem VIII. occurrunt Notæ & Signa in typographæis adhibe-

ri ſolita, quibus hanc Operis particulam typothetæ excudentis manibus tritam fuiſſe, pàtefit:

IV. *Codex alius MSS^tus^ complectens ſequentia,* tum latino rum germanico ſermone conſcripta:

1. *Sermones ad Populum in æde SS. Udalrici & Afræ Auguſtæ. anno* 1534. quorum primum Dominica Sexageſimæ habuit. *Latine.*

2. *Auf das allerkürzeſte Verzeichnuſs, wie es gegen meinen gnädigen Herrn H. Chriſtoph von* STADION, *und ſeiner fürſtlichen Gnaden unterthänigen Geiſtlichen von denen kleinen und groſſen Raths zu Augſpurg ſey gehandlet worden.*

Adverte, bis in hoc Codice occurrere Articulos XII. *Chriſtophoro a* STADION, Epiſc. *Auguſtano* a Senatu *Auguſtano* propoſitos, quibus HALLERUS noſter Reſponſiones per modum gloſſæ interlinearis & marginalis addidit.

3. *Vincentius Lirinenſis ain alter Lerer, allen Chriſten vaſt luſtig und nuz, verteutſchet durch Maiſter Leonhart* HALLER, *Prieſter des hochen Stifts zu Eichſtett.*

4. *Ein Sermon des hayligen uralten Biſchofs* MAXIMI *von der Menſchwerdung des ewigen Worts, zu einem ſeel: neuen Jahr verteutſcht.* 1535.

In fine legitur; *an St.Stephans Tag des heyl. Mart. L. H.*

5. *Abhandlung des Artikels:* Abgefahren zu der Hölle, *angefangen* 1538. *ultim. Maii. h.* 4. *veſpert. vollendet* 7. *Junii, hora antemeridiana nona.*

6. *Ein Geſpräch dreyer Perſonen, welche von jetzigen Leuffen und aller Ding Zerrüttung reden, doch ſonderlich, was den Prieſterſtand und Amt belangt,* 1538. 19. *Maii, hora* 6. *veſpertina.*

Ain Lay, Canonicus, und *Lutheriſcher.*

Lay : Bene mane : ich hab euch einen guten Tag gewünſcht &c.

In fine legitur :

Maii 23. *ſeptim. antemeridiana* :

7. *Eine Abhandlung : ob ein alter Mann ſich wieder beweyben ſoll ?* Hæc Tractatio in fine mutila eſt.

8. *Exceptiones S. C. Majeſtatis ad Articulos Auguſtanæ Confeſſionis.*

Incipit : *Articuli I. confeſſionem S. C. Majeſtas clementer acceptat. Nicænum Concilium ſub Imperatore Conſtantino M. celebratum &c.*

9. *Conciones XIX.* in epitomen latinam redactæ a *Noſtro* , qui eisdem auſcultaſſe videtur , cum hac epigraphe : *Doctor Marcus N. ad B. Virginem,* 1534. *Auguſtæ.* Et in elencho ad initium *Codicis* poſito ſic legere eſt : *Sermonum D. Marci in cathedrali Eccleſia, Auguſtæ* , *Exceptio* (*k*).

V. *Liber Rationum accepti* &c. Cum hoc Scriptum ad œconomiam pertineat , in quo *Noſter* redditus ſuos perſcripſit, illud haud moror : ſed eum unice ob finem allego ; quia inde nonnullas Vitæ *Leonardi* circumſtantias deprompſi ; *ut ſciat Lector* , *hæ unde manarint.*

(*k*) Eſt *Marcus* AVUNCULUS Theologus, Concionator Eccleſiæ cathedralis *Auguſtanæ*, de quo alibi a me mentio fiet.

HENRICHMANNUS (*Jacobus*)

HENRICHMANNUS, vel (ut *Mart.* CRUSIO (*a*) *Chriſtophoro* FORSTENHAUSERO (*b*) & aliis ſcribitur)

(*a*) *Rerum Suevic. Dod. III. p.* 516. & 528. Idem CRUSIUS , *l. c. p.* 507. cujusdam *Jacobi* HEINRICHMANNI *de Blabiren* ad annum 1497. inter *Inſcriptos Academiæ Tubingenſis* meminit, relinquens in medio , an eum a patria vel a domicilio ſic vocet : an vero omnino alium a *Noſtro* velit ; quod vix crediderim.

(*b*) *In titulo* CONSILIORUM *Noſtri* , a ſe cum is ſuccedaneis editorum.

tur) HEINRICHMANNUS *Sindelfingæ* (*c*) urbe Sueviæ, in Ducatu Wirtembergico ſita circa annum MCCCCLXXXII. (uti ex epitaphio infra adſcribendo eruere licet) in lucem natus, puerilibus annis *Caſparo* HUMMEL viro diſerto & facundo, uti etiam *Henrico* BEBELIO præceptoribus operam dedit. Hoc ipſe de ſe teſtatur, dum in epiſtolis, ſuis *Inſtitutionibus Grammaticis* præmiſſis, hunc *præceptorem ſuum egregie amandum*, illum *præceptorem ſuum non trivialiter amandum* vocat. Adultior factus, ut videtur, circa annum MD. *Philoſophiæ Magiſtri* dignitatem ſumpſit; cum ad hunc maxime annum *Mart.* CRUSIUS *Rer. Suevic. Dod. III. p.* 516. ſcribat: *Vixit tunc* (1500) *Jacobus* HEINRICHMANNUS *Philoſophiæ Magiſter.* Conſentiunt cum hoc CRUSII effato ea, quæ *Noſter* in *Epiſtola* ſua ad *Henricum* BEBELIUM, *Inſtitutionibus* ſuis *Grammaticis* præfixa dataque anno 1506. de ſe ſcribit: „ Ego cum hyeme quadam... a re-„ cto itinere equitando paululum aberraſſem, tum „ ruſticus mihi comes acriter me caſtigare... cæ-„ pit, inquiens: Proh tu *artium magiſter* es... & „ viam neſcis! Arbitrabatur... cum *philoſophus* „ eſſem, quem nos *artium magiſtrum* vocamus, „ omnes vias mihi cognitas eſſe.“ Anno ferme MDII. ſcholaſticæ juventuti, in Gymnaſio *Tubingenſi* Grammatices præcepta tradere cæpit; quo munere ipſe, ſe jam ferme quatuor annos defungi, docet in citata *Epiſtola* ad *Henric.* BEBELIUM his verbis: „ Ut barbariem eo melius in Germania „ extirpare poſſes, me *Diſcipulum tuum* ſæpe es „ adhortatus, ut.. ea præcepta, quæ *jam fer-*

(*c*) Patet hoc ex frontiſpicio *Inſtitutionum grammaticarum* a *Noſtro* vulgatarum: item ex Dedicatione *Prognoſticorum*, a *Noſtro* latine converſorum.

„ *me quatuor annos*... diſcipulis noſtris tradidi, in „ libellum colligerem. " Et ſub finem ſequentia habet: „ Ego meo more, ut puto non male, *Tu-* „ *bingenſis* gymnaſii juventutem inſtitui. " Quamdiu *Noſter* juventuti optimis artibus formandæ ſtuduerit, incertum; illud vero indubium, eum juri diſcundo ſeſe dedidiſſe, eo fructu, ut *Doctoris in utroque jure* lauream ſit conſecutus. Hinc cito graviſſimis negotiis adhiberi, & præclaris augeri honoribus cæpit. Fuit *Canonicus* cathedralis Eccleſiæ *Auguſtanæ*, quos inter abs *Corbiniano* KHAMMIO (*d*) ad annum MDXXI. annumeratur. Fuit Cancellarius Epiſcopi *Auguſtani*, & Parochus in *Zusmerhauſen*, pago horarum aliquot ſpatio Auguſta diſſito. *Fuit*, uti *Chriſtophorus* FORSTENHAUSERUS, J. V. D. Cancellarius *Othonis* TRUCHSESSII Epiſc. Auguſt. & Cardinalis (*e*), haud dubie in eo munere *Noſtri* ſucceſſor, in Dedicatione CONSILIORUM *Noſtri* (quibus, eo jam ſatis functo, obſtetriciam quaſi opem impendit, & quæ anno 1566. typis vulgavit) docet, *fuit aliquot inſignium Epiſcoporum* (*f*) *ejusdem Eccleſiæ* (Auguſtanæ) *& præſertim Amplitudinis tuæ* (Othonis puta) *Vicarius generalis: fuit ex Triumviris, qui Sueviæ atque ejus ſociis in jure dicundo ex profeſſo præfuerunt, minime poſtremus.* Hæc, de dignitatibus & officiis *Noſtri* dicta, ſatis funto. De ejusdem ſcientia, rerumque gerendarum peritia, de animi

(*d*) In *Hierarch. Auguſtan. P. I. cathedr. p.* 614.

(*e*) Hæc de FORSTENHAUSERO memorat *Car.* STENGELIUS *Rer. Auguſt. Comentar. p.* 287.

(*f*) Dum dicit: *aliquot inſignium Epiſcoporum*, innuere mihi videtur, HENRICHMANNUM *Vicarii in ſpiritualibus generalis* munus apud *Henricum* a Lichtenau, *Chriſtophorum* de Stadion, & *Othonem*, Epiſcopos Auguſtanos ſibi proxime ſuccedentes, geſſiſſe.

mi dotibus virtutibusque *Noſtri* hæc ulterius memorat *Chriſtophorus* FORSTENHAUSERUS *l. c.* „ Fu„ it ob humanitatem, comitatem, fidem, frugali„ tatem, induſtriam magnis & parvis acceptus: „ fuit in eccleſiaſtica politia & dignitate vindican„ da zelo non vulgari præditus: fuit denique per „ multos annos venerandus ille Senex in hac Pro„ vincia & Eccleſia velut *Paulus* vel *Ulpianus* qui„ dam, cujus conſilium, prudentiam, conſilia & „ reſponſa in cauſis litibusque dirimendis multi paſ„ ſim vicini expetere, nec minus feliciter adhibere „ conſueverunt. "

Anno MDXXI. 3. Junii *Noſter* cum CASPARO Abbate Weſſofontano, & *Sebaſtiano* ILSUNG Clerico *Auguſtano* Jurium Doctore præſedit in *Benedictoburano*, ſuperioris Bavariæ Ord. *S. Benedicti*, cænobio electioni MATTHIÆ in abbatem memorati aſceterii: eamque electionem, qua Vicarius generalis Epiſcopi Auguſtani *Chriſtophori*, confirmavit. Similiter ſeptendecim poſthæc annis, nempe anno MDXXXVIII. 13. Julii electionem CASPARI in Abbatem ejusdem monaſterii, ſui Epiſcopi nomine, firmam ratamque habuit. Vide *Car.* MEICHELBECK *Chronicon Benedictoburanum, P. I. pag.* 225. & 237.

Supremum diem clauſit *Noſter*, ſenio & laboribus confectus, anno ſalutis MDLXI. ætatis ſuæ LXXIX. Tumulum nactus eſt in ambitu Eccleſiæ cathedralis *Auguſtanæ*, ſequenti epitaphio parieti infixo:

Jacobus HENRICHMANN *J. V. D. Eccleſiæ Aug. Canon. atque iu Spiritualibus Vicarius generalis*
V. S. M. P. (g)
Illud nimirum, quod eo moriente futurum ſit, aperte ſignificans.

 Condit

(g) Lege: *Vivus ſibi monumentum poſuit.*

Condit poſt mortem pollinctor turpe cadaver
Id vermes rapiunt: captat amicus opes.
Atque ſacros cenſus mox Curtiſanus anhelans
Occupat; at Chriſtus ſpes mihi ſola manet.

Humi locus ſepulturæ hac ſignatur epigraphe.

Completa ſunt hæc omnia
Anno Domini MDLXI. Die XXVIII. Menſ. Junii
Aetatis vero LXXIX. (*h*)

Juvat modo ad enarranda Scripta *Noſtri* aggredi. Hæc ſunt:

I. *Jacobi* HENRICHMANNI *Sindelfingenſis Grammaticæ Inſtitutiones caſtigatæ denuo, atque diligenter elaboratæ. Exhortatio Ejuſdem ad litterarum ſtudioſos, ut barbariem eliminent, & eloquentiæ ſtudeant.*

Acceſſerunt huic Operi *Ars condendorum Carminum Henrici* BEBELII *Juſtingenſis, Poëtæ laureati; Syllabarum quantitates; Racemationes & exquiſitiores Obſervationes ejuſdem cum additionibus multis. Centimetrum Mauri Servii* HONORATI *Grammatici.*

Excuſum Opus *impenſis providi viri Joannis* RINMANN *de Oeringau*: impreſſum *accurate per induſtrium Henricum* GRAN *civem in imperiali oppido Hagenau. Anno virginei partus MDXIV. XV. Februarii.* Extat hæc Editio in Bibliotheca noſtra, *FF.* VEITHIORUM, *Auguſtæ*, quam fuſius deſcribere operæ pretium eſt. Ceterum caveſis, Lector! hanc Editionem, primam eſſe putes.

Initio Operis occurrunt Epigrammata *Sebaſtiani* KEFER, Artium cultoris: *Amandi* MEGLINGII: *Joannis* HABERKALT Philophæbi, diſcipulorum *Noſtri*: *Matthiæ* KRETZ Lanſpergenſis: *Joannis* WEBER: *Henrici* BEBELII: & ipſius *Jacobi* HENRICH-

(*h*) Exhibet hoc Epitaphium *Corbin.* KHAMM *l. c. p.* 614. Item *Daniel Praſchius* inter *Epitaphia Auguſtana*, *p. III. p.* 9. nonnihil variatum.

RICHMANNI ad *Bebelium*. Item Epiſtola HENRICHMANNI noſtri ad BEBELIUM, *Tubingæ* 1506. 10. Kal. April. *ex contubernio noſtro* (ut ait) data, in qua profitetur, ſe maxime juſſu & auctoritate BEBELII edere hunc librum; quem etiam orat, ut eundem a naſutis Criticis & Blateronibus defendat. Sequitur alia Epiſtola HENRICHMANNI ad *Caſparum* HUMEL præceptorem ſuum, data ex *Luſtnoia*, pago haud procul *Tubinga* ſito, 1508. 7. Kal. Martias, in qua eundem rogat, ut ſi *Grammaticas* ſuas *Inſtitutiones*, quarum quidem non minimam partem ab ipſo, qua præceptore ſuo, ſe accepiſſe ingenue grateque fatetur, a malevolis calumniari audiat, defendere velit; ſimul acriter invehitur in eos, qui ſermonis barbariem, & in Grammatica nil niſi Gallum ALEXANDRUM quendam amabant &c. Similiter in ſubſequenti *Exhortatione ad litterarum ſtudioſos, ut barbariem eliminent, & eloquentiam venentur*, in Latinitatis barbaræ ſectatores graviter declamitat. Inter alia pro meritis traducit quendam Libellum, cui titulus: *Barbarus*, quem a *Vito* FEINFELIN, Sacellano epiſcopi *Eichſtettenſis*, politiorum litterarum amatore, allatum fuiſſe teſtatur, ita vere barbarum, ut tum ſuo, tum reliquorum, in convivio familiari tunc accumbentium calculo concremari dignus judicatus ſit.

Tenui te aliquantiſper, Lector! ſed, ut ſpero, non præter inſtitutum. Jam *Editiones* hujus Libri recenſere convenit, ut vel inde pateat, quanta cum aviditate exceptus ſit. Prodierunt ergo hæ *Grammaticæ Inſtitutiones Noſtri* anno 1506. (*i*). 1513. (*k*). 1514.

(*i*) Vide *Mart.* CRUSIUM *Rer. Suevic. Dod.III. p.* 528. ubi huic *Grammaticæ* laudem dicit.

(*k*) Vide Admonitionem *Joann.* HILTEBRANT Editioni

1514. *Hagenoæ* (*l*). 1515. *Tubingæ* (*m*). 1519. *Auguſtæ* (*n*). 1520. *Hagenoæ* (*o*). 1536. *Auguſtæ* (*p*). & ſi forte aliæ adhuc ſunt Editiones, mihi incognitæ.

II. *Prognoſtica*, *alioquin barbare* PRACTICA *appellata*, *latinitate donata paucis quibusdam annexis*. 4°. *Argentinæ*. 1509.

His *Prognoſticis*, ex Germanico a ſe converſis, *Noſter* Dedicationem ad *Chriſtophorum* Baronem *in* SCHWARTZENBERGO, quem inter ſuos quondam diſcipulos numerare meruit, *Henricum*que BEBELIUM, 1508. XI. Kal. Martias ex *Suertzlochio* datam, præpoſuit, in qua ſe denuo *Sindelfingenſem* fuiſſe prodit. Extant hæc *Prognoſtica* in Bibliotheca *San-Udalricana* Auguſtæ. Confer *Joſiæ* SIMLERI *Bibliothecam*, *p.* 375. ubi hoc *Prognoſticon* etiam cum *Facetiis* BEBELII impreſſum fuiſſe dicitur.

III. *Conſilia ſive Reſponſa Juris. fol.* 2. *Vol. Dillingæ*. 1566.

Hoc Opus, præcipuum *Noſtri*, eo mortuo *Chriſtophorus* FORSTENHAUSERUS J. V. D. typis mandavit, dicavitque *Othoni* TRUCHSESSIO Card. & Epiſc. *Auguſtano*. In iſta Dedicatione miris laudibus *Noſtrum* extollit, deque eo & ejus Opere inter alia ſic loquitur: *Inter hos vero Jureperitos, qui ſuperiori & noſtra ſimul ætate Conſilia .. ſcripſerunt, dignus*

ni de anno 1514. *Hagenoæ*. præmiſſam, in qua dicitur: *vam in eoipſo* (Opuſculo *grammaticarum Inſtitutionum* Noſtri) *quod ſuperiori anno excudimus*.

(*l*) Eſt Editio a me ſupra fuſius recenſita.

(*m* Vide *Indicem in* MAITTAIRII *Annal. typograph. Tom. I. Londini*. 4to.

(*n*) Vide *Eliæ* EHINGER *Catal. Bibl. Auguſtanæ. p.* 742.

(*o*) Vide *ibidem*.

(*p*) Vide *Chriſtian Gottlieb* JOECHER *Gelehrten-Lexicon*.

dignus eſt, qui non ſine laude publica recenſeatur D. Jacobus HEINRICHMANNUS *utriusque Juris conſultiſſimus... Is priusquam e vivis excederet, hoc Conſiliorum Opus partim a ſe conſcriptum, partim ex aliis collectum poſteritati reliquit &c. Hoc autem Opus, quod a multis exſpectari novimus, non temere a nobis illi, cui maxime debetur, dedicandum putavimus, nimirum Ill*ma *Celſitudini tuæ, ampliſſime Cardinalis!...* Ex hoc Opere haud dubie *Nicolaus* BUCKERUS Patritius *Francofurtenſis*, Legum Doctor, deſumpſit *Noſtri* X. *Conſilia matrimonialia*, quæ cum aliis anno 1580. *Francofurti ad Mœnum* duobus in *folio* Voluminibus edidit. Confer, ſi lubet, *Joſiæ* SIMLERI *Bibliothecam, p.* 376. in eo culpandi, quod HENRICHMANNUM inter & HEINRICHMANNUM diſtinguat.

Fr. JOANNES, Auguſtanus, Ord. S. Benedicti, Sæc. XV.

Ab hoc vidi in Bibliotheca *SS. Udalrici & Afræ* Auguſtæ, 1771. ſequens MSStum.

Tractatus de Cautela prædicandi ad Epiſcopum Auguſtenſem. 8o.

Præfatio ſic ſonat.

„ Almo Præſuli *Auguſtenſi* Fr. JOHANNES N.
„ Monachus Ord. *S. Benedicti*, quidam de minimis
„ in theologia Profeſſorum omnem, quam habet
„ peccatoris oratio, facultatem. Tuæ civitatis
„ Clericorum nonnullis meam placuit imperitiam
„ conſulere ſuper veritate nonnullarum propoſitio-
„ num in dicta civitate tua de ambone Eccleſiarum,
„ ut aſſeritur, publicé prædicatarum; quarum ali-
„ quæ quorundam peccatorum omnem negant re-
„ miſſibilitatem: aliæ vero piarum mentium non
„ mediocres perturbationes, infinitas generant

„ per-

„ perplexitates, dum, ſuper materia prædeſtina-
„ tionis & præſcientiæ divinæ minus caute prola-
„ ta coram rudibus animis, neceſſitatem quandam
„ actibus humanis imponere videntur. Qua in re,
„ Præſul alme! tuam volui, ne dicam, informa-
„ re, ſed ſollicitare ſapientiam, & ejus officium
„ excitare, quatenus unice Dei cultor præcipuus,
„ vulpes parvulas capere ſatagens, qui doctrina-
„ rum, plus quam ſatis eſt, temerariarum ſpar-
„ ſione demoliuntur vineas eccleſiaſticas parochia-
„ rum tuæ Diœceſis & Civitatis. Zellum quippe
„ tuum bonum ſuper indiſcretorum prædicatorum
„ perſecutione, & myſticarum vulpecularum ſu-
„ per extirpatione jam dudum non ſola relatione di-
„ diceram; ſed, per rerum magiſtram, quam fe-
„ runt, experientiam, notitiam cepi de tua ſecun-
„ dum Deum æmulatione. Fecit hoc mihi perſpi-
„ cuum tuum diligens ſcrutinium quondam in
„ *Nördlinga* celebratum, cui ipſe aderam, ad hoc
„ tua dignatione vocatus in unius myſticarum vul-
„ pecularum Diœceſis tuæ vineam demoliri ſata-
„ gentis examinationem. Ceterum tuæ Celſitudi-
„ nis ſapientia libenter meam inſipientiam ſuppor-
„ tabit ſuper mea, plus quam ſatis eſt, audaci te-
„ meritate, de tua Clementia præſumente, qua
„ ad cœptum opus præcipue provocatur. Eſt eti-
„ am neſcio qualis in me affectio ſingularis Civita-
„ tis & Diæceſis incolarum pro ſalute, quam ad-
„ juvat *ea, quæ ſecundum carnem eſt, nativum ad*
„ *ſolum;* ut me ad eos, quibus non modo in Chri-
„ ſto, ſed etiam ſecundum carnem debitor ſum &
„ frater, dicere faciat illud Apoſtolicum: *Aemu-*
„ *lor enim vos Dei æmulatione*, vos (inquam) qui
„ veritate rei per effectum de me loquentes dicitis:
„ *Caro enim & frater noſter eſt.* Hi ſunt, ecce Præ-
„ ſul

„ ſul alme! quos non ego, ſed tu deſpondis *uni vi-*
„ *ro virginem caſtam exhibere Chriſto*, quos tibi re-
„ commendatos charitas cogit recommendare.

„ Explicit Epiſtola. "

Tractatus ipſe in VII. capitula diſpertitur. His contentus eſto, Lector! donec lux clarior affulgeat, quis JOANNES iſte fuerit? quis Epiſcopus ille *Auguſtanus*, ad quem hæc ſcripſit? quinam ii, contra quos maxime hæc protulit?

KAUFFRINGER (*Paulus*)

Magiſtri, *Pauli* KAUFFRINGER, hominis minime indocti, laudem ab oblivione vindicavit P. *Wilhelmus* WITTWER (*a*) Monachus *San - Udalricanus*, *Auguſtæ*, dum ad annum 1474. *Noſtri* quædam *Carmina de Ruina Templi SS. Udalrici & Afræ*, quod hoc anno vehementiſſimo venti impetu in die *SS. Petri & Pauli* quaſſatum multorum hominum ſtragem edidit, adducit. Fuit tum temporis *Paulus* noſter *Pædagogus Fratrum juniorum Conventus Udalricani*, Deoque miſerante huic cladi ereptus in capella *S. Bartholomæi* cum aliis pluribus, licet metu & caſus tam improviſi terrore propemodum exanimatis. Vocat idem *Wilhelmus* WITTWER *Paulum* noſtrum *Vicarium S. Mauritii*; cujus unum *Carmen* ſpeciminis loco hic appono:

„ *Petr*Vs V*da*LrICI ConCVſſIt CaſIbVs ædeM. (*b*)
„ Auguſtæ Cæſar cum *Fridericus* erat.
„ Heu! nam disjecit venti vis maxima Templum,
„ Veſpere Defunctis quando dedere preces.
„ *Ter denos* homines & *quatuor* ruina peremit:
„ Paſtor & Adjutor cum grege ſuccubuit.

„ Sed

(*a*) In *Catalogo MSSto. Abbatum Monaſterii SS. Udalrici & Afræ*, p. 174. 175.
(*b*) Ex litteris majuſculis conflatur numerus MCCCCLXXIV.

„ Sed ſperemus , eis tribui ſua munera cælo ,
„ Namque fuere pii ; ſer prece , lector! opem.“
„Hos *numeri*: *verſus* Domini monſtrant *prior* annum,
„ Quoque die vehemens flatus in orbe fuit.“

Reliquas Vitæ *Noſtri* circumſtantias , ejusque merita pandet epitaphium in ſeptentrionali pariete parochialis Eccleſiæ *S. Joannis* , in urbe *Auguſta* , poſitum (*c*):

„ Verſchüner Zeit hab ich gelert :
„ Unwiſſend Leut dies hont begehrt.
„ Auf dieſen Tag ich nit aufhör ,
„ Ob einer mag leſen meine Lehr.
„ Merck, wer du biſt , jung oder alt ,
„ In kurzer Friſt gwinſt auch die Gſtalt.
„ Ein klaglich End hat Menſchen - Ehr ;
„ Zu Gott dich wend , nichts anders ger.
„ I! licet ; Conclamatum eſt.
„ Heus ! miſeri metam properamus ad unam.
„ *Paulus* KAUFFRINGER Aug.
„ Sacerdos Religione ſpectatiſſ.
„ Artium liberalium Profeſſor clariſſ.
„ Sibi & Parentibus chariſſ.
„ Indulgentiſſ. Q.
„ T. F. I.
„ Vixit annos LXXIV. M. I. D. IV.
„ Obiit anno a partu Virg. MDXXII.
IV. Kal. Februarii. “

Eleemoſynarius cum eſſet liberalis , in ærarium pauperum (*Almoſen - Säckl*) octingentos florenos contulit, ut teſtatur *Chron. Auguſt. german. P. III. p.* 4. apud *Corbin.* KHAMM , *Hierarch. Auguſtana , P. I. cathedr. p.* 689. De qua re *Achilles Pirminius* GASSARUS inter *Scriptores Rer. German. Jo. Burck.* MEN-

(*c*) V. *Khamm Hierarch. Auguſtana , P. I. cathedr. pag.* 689.

MENCKENII, *Tom. I. p.* 1769. in hæc verba ad annum 1522. ſcribit : *Omnium autem primus Paulus* KAUFFRINGERUS, *Moritianus ſacerdos, ad pium hoc opus* (in eleemoſynæ ſcilicet publicæ gazophylacium) 800. *aureolos* , *civibus in exemplum* , *de ſuo moriens legavit hoc ipſo anno.*

KRAMER (*Balthaſar*) Ord. S. Bened.

Auguſtæ natus patre textore , viro honeſto , ibidemque enutritus , Monachus Ord. *S. Benedicti* in Cænobio *SS. Udalrici & Afræ* , ejusdemque Cænobii per aliquod temporis ſpatium *Subprior* (*a*) vixit exeunte ſæculo XV. Anno MCCCCXCII. una cum aliis ejusdem Aſceterii alumnis tertiæ Translationi *S. Simperti Epiſc. Auguſt.* (*b*) interfuit. Extitit ſcribendi pingendique artis , quæ tum in memorato monaſterio maxime viguit , & in qua addiſcenda *Leonardi* WAGNER itidem *Monachi San - Udalricani* egregia (*c*) inſtitutione uſus eſt , longe peritiſſimus. Afferti mei teſtem habeo *Pſalterium* , in charta pergamena nitidiſſime ſcriptum in *folio* majori ; quo adhucdum anno MDCCLXXI. (Hoc ipſo anno illud meis oculis uſurpavi) ad cantandas Horas canonicas in choro utebantur dicti Aſceterii incolæ. Juvat hoc loco ejus *Codicis*, cujus ſcribendi initium anno 1494. ſexto Idus April. fecerat , unius fere anni ſpatio abſolvens (*d*) ſubſcriptionem apponere : „ Ad

(*a*) Ita teſtatur *Wilhelmus* WITTWER in *Catalogo MSSto. Abbatum Monaſterii SS. Udalrici & Afræ*, *pag. penultima.*

(*b*) Vide *Inſtrumentum publicum* deſuper conditum a FRIDERICO Epiſc. *Auguſtano*, apud *Bernard.* PEZ , *Theſaur. Anecdot. noviſſim. Tom. II. P. III.* p. 450. item apud *Corb.* KHAMM , *Hierarch. Auguſt. P. III. regul. p.* 96.

(*c*) Ita *Wilhelmus* WITTWER *l. c. p.* 279.

(*d*) Idem *ibidem* , p. 261.

„ Ad laudem omipotentis Dei ac glioſe Genitricis
„ ejus , intemerate Virgis Mariæ , nec non ob honore & gloria ſctorum Vdalrici & Afræ opus hoc
„ completum eſt afflante Spusſcti gra per me fratrem *Balthaſar* KRAMER in Retia Auguſta Vindelica natum ac ibidem enutritum mochum expſſum profeſſum & pbrum conventus hujus cænobii,
„ abbatizante huic cænobio venerabili Abbate *Johanne de* GILTLINGEN , anno videlicet incarnatæ Deitatis 1495. undecima die Aprilis , hora quaſi meridiei. "

Annum mortis *Noſtri* aſſignat ad *VII. Idus Februar.* Necrologium vetuſtum Canoniæ *ad S. Crucem* , *Auguſtæ* , his verbis :

„ Anno Domini 1502. ex mſterio Sctorum Vdalrici & Afræ obyt fr. *Balthaſar* KRAMER pbr. "

LÆTUS (*Georgius*)

LÆTUS , veriori nomine FROELICH , in agro *Lömnicenſi* , qui *Voygtlandiæ* , aut tractus *Egerani* pars eſt , anno circiter 1500. primam lucem vidit: In pueritia liberis humanioribusque diſciplinis ita ſe impendit , ut a *Caſpare* BRUSCHIO dignus habitus ſit , qui inter *Oratores* ac *Poetas* ævi ſui annumeretur (*a*) ; quorum in ordine ſedem *Noſtro* jure deberi , Scripta ejus inferius recenſenda liquido declarant. Circa annum 1520. operam Cancellariæ *Fratrum Electorum Palatinorum Rheni* locavit : Inde

(*a*) V. STROBEL *Miſcellaneen litterariſchen Inhalts.* 8. *VI. Sammlung*, p. 85. 86. *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie der deutſchen Sprache &c. XIX. Stück*, p. 351.

de *Norimbergam* anno 1526. delatus, in ejus urbis Cancellaria per decennii ſpatium meruit, anno quidem 1528. Actis regiſtrandis, ſeu in Regeſta referendis admotus, anno autem 1529. ejus Cancellariæ Scriba inſtitutus; quo poſteriori munere usque ad annum 1530. functus eſt (*b*). Dum *Norimbergæ* ſubſtitit, graviſſimis negotiis gerendis adhibitus, inter alia anno 1530. *Chriſtophoro* SCHEURL, & *Joanni* HEPSTAINIO, qui ambo *Reipublicæ Norimbergenſi* a *conſiliis* fuerant, *Auguſtam* ad famigeratiſſima Imperii comitia ſub *Carolo V.* ibidem celebrata miſſis, publica auctoritate adjunctus fuit, ut eorum in reſcribendis Actis Amanuenſis eſſet.(*c*) Tandem anno 1536. *Norimberga*, officioque ſuo, una cum aliis pluribus, deceſſit; cujus rei hanc cauſſam *Andreas* OSIANDER ſequentibus exponit: *Fecit idem Georg.* LÆTUS, *qui huic meo negotio a principio ad finem usque ſcriba interfuit, homo ingenio verſatili & capaci, latine ultra mediocritatem doctus, ita ut etiam carmina non omnino rudia componat, cujus cum ea induſtria eſſet, ut ægrotanti Scribæ ſenatorio* (*d*) *vicarias operas præberet*, *nec tamen* pro voto ſuo emergere poſſet, *relicta hac urbe Auguſtam ſe contulit, ubi nunc apud ſuos maximo in pretio eſt* (*e*): Ex quibus credibile fit, *Noſtrum* ad dignitatem

(*b*) V. STROBEL, *l. c. p.* 86. *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie &c. p.* 351.

(*c*) V. STROBEL, *l. c. p.* 86. 87. cui partem potiſſimam eorum referre in acceptis debeo, quæ de LÆTO commemoro.

(*d*) Hunc *ſcribam ſenatorium*, aut *Georg.* HOEPPELIUM anno 1533. fatis perfunctum, aut veroſimilius *Lazarum* SPENGLERUM diutino morbo conflictatum, annoque demum 1534. vivis ereptum, fuiſſe autumat *Georg. Theod.* STROBEL. *l. c. p.* 87.

(*e*) V. STROBEL. *l. c. p.* 88.

tatem *Scribæ ſenatorii* aſpirantem, quod ſpe ſua deluſus eſſet, mutandi domicilii, & fortunæ alibi tentandæ conſilium cepiſſe.

Neque ſperatis excidit *Noſter*; namque *Auguſtam* deveniens, *Archigrammatæi*, & *Cancellariæ Præfecti* dignitatem pro voto eſt conſecutus (*f*). In quo munere cum eſſet, & civitas *Auguſtana* (*g*) Fœderis *Smalcaldici* ſocietatem, quam graviſſima damna inſecuta ſunt, anno 1536. iniviſſet, *Noſter* in eo negotio magnam partem habuit (*h*). Hinc, cum res illius famoſiſſimi Fœderis ruere, & referri in pejus cæpiſſent, timens cauſſæ ſuæ, quod litterarium ejus Belli commercium exercuiſſet, petiit anno 1547. a Senatu, ut officium ſuum deponere ſibi liceret: renuente autem Senatu, quod ille *Noſtri* opera, tam graviter afflictis rebus, carere ſe haud poſſe crederet, *Auguſtæ* permanere coactus eſt (*i*). Inter ea, cum eodem anno, ſcilicet 1547. a Senatu conſilium habitum eſſet, quomodo pro avertenda Numinis ira illata in urbem vitia tolli e medio, civiumque mores corrigi in melius poſſent, huic negotio perficiendo *Noſter*, una cum D. *Conrado* HEL, D. *Nicolao* MAYR, *Wolfg.* MAEUSLIN, M. *Michaele* KELLER, deſtinatus eſt (*k*). Haud ita multo poſt, capta a *Carolo V.* urbe *Auguſta*, mutataque anno 1548. ab eodem Regiminis forma, *Noſter* officio ſuo, quod per annos XII. geſſerat ita,

(*f*) *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie &c. XIX. Stück.* p. 351.

(*g*) V. *Paul. a* STETTEN, ſenioris, *Geſchichte der Reichsſtadt Augsburg, Tom. I. p.* 340.

(*h*) V. STROBEL, *l. c. p.* 89. *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie, l. c. p.* 351. *Allgemeines hiſtoriſches Lexicon. fol. Baſel. Tom. III. p.* 617.

(*i*) V. *Paul. a* STETTEN, ſenior. *l. c. p.* 406.

(*k*) Vide eundem, *l. c.*

ita, ut multam inde laudem a ſuis obtinuerit, 3. Auguſti prædicti anni honorifice, ut ipſe de ſe ait, dimiſſus, *Kaufburam*, imperialem Civitatem, aliquot milliaribus *Auguſta* diſſitam, ſe recepit (*l*), ad id magna *Georgii Hermanni a* GUTTENBERG in litteras & litteratos benevolentia amoreque ſingulari, ut credere fas eſt, incitatus (*m*): in eaque urbe, coemptis ſibi anno 1549. 1. Junii ædibus, una cum uxore inter cives inferioris ordinis (vernacule *Beyſiz*) adlectus, Magiſtratus *Kaufburenſis* tutelam obtinuit, ea tamen clauſula addita: *Senatum* LÆTO *in iis, quæ Kaufburæ eventura forent, præſidium ſuum impertiri, minime in iis, quæ eveniſſent*; quod ipſum a Senatu provide factum puto, Cæſaris iram ſubverito, peſſime erga eos omnes affecti, qui in prædicto *Fœdere* partem habuerant. Dum *Kaufburæ* ſubſtitit *Noſter*, tum ejus urbis, tum etiam *Auguſtanis* civibus apta præbere conſilia non deſtitit: &,cum omnis officii expers eſſet, otium ſibi datum (*n*) ſtudiis maxime dicaviſſe videtur, præcipue Verſioni STOBÆI; cui in linguam germanicam traducendo ea in urbe vires ſuas maxime impendiſſe LÆTUM, *Dedicatio* inde anno 1550. 14. Maii data credibile facit. Haud diu *Kaufburæ* manere libuit *Noſtro*; etenim is anno 1552. domo ſua *Simprechto a* BENZNAU, ſeniori, divendita, jureque civitatis renunciato, iterum *Auguſtam* venit, eo evocatus, ut Senatui *a conſiliis* eſſet. De vocatione hac meminit ſolus *Georg. Theodorus*

(*l*). V. *Allgemeines hiſtoriſches Lexicon.* fol.) *Baſel. l. c.* STROBEL *Miſcellaneen. VI. Sammlung. p.* 90. *ſeqq.* | *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie &c. XIX. Stück. p.* 351. *ſeqq.*

(*m*) V. STROBEL *l. c. p.* 91. 92.

(*n*) V. STROBEL. *l. c. p.* 91. 92. 93. *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie. l. c. p.* 352.

dorus STROBEL (*o*) : reliqui autores altum ſilent. Utcunque ſit, in hoc omnes concordant, *Georgium* noſtrum anno 1554. denuo a Senatu *Auguſtano* in quadriennium conductum eſſe, aſſignato quotannis centum florenorum ſalario (*p*).

Quid poſthæc de *Noſtro* actum ſit; quo devenerit; ubi ſupremis fatis conceſſerit, penitus neſcire ſe profeſſi ſunt laudatus *G. Th.* STROBEL & *Jac.* BRUCKERUS, aliique; nempe præteriit illos, quod *Joſias* SIMLERUS in *Bibliotheca, fol.* 1583. *p.* 271. de *Noſtro* narrat: *Floret adhuc in aula illuſtr. Principis Palatini* OTHONIS HENRICI, *ejus* (*ut vocant*) *Cancellarius.* Obiit autem prædictus Princeps anno 1559. atque ex illo tempore etiam me omnes de *Noſtro* notitiæ deficiunt.

In iis vero, quæ *Noſter* ſuſtinuit, gravibus certe magnique momenti officiis adminiſtrandis ita eſt verſatus, ut a ſuis ob probitatem, amorem honeſti, priscamque fidem & mores antiquos multis prædicetur (*q*): ob acrem autem ac utilem in tractandis negotiis diligentiam contentionemque, ob officiorum præſtitorum multitudinem magnitudinemque a *Kaufburano* juxta ac *Auguſtano* Senatu plane ſpecialibus gratiis & favoribus ſingularibus ſit impertitus. Sic eidem *Kaufburenſis* Magiſtratus, bonorum ab eo acceptorum conſiliorum haud immemor aut ingratus, mediocre admodum Tributum, ex Bonis perſolvendum, impoſuit: *Auguſtanus* autem Senatus eum, utut alienigenam, una cum uxore ac liberis non ſolum honeſte aluit; ſed etiam

(*o*) In Libro: *Miſcellaneen litterariſchen Inhalts. l. c. p.* 93.

(*p*) V. STROBEL *Miſcellaneen litterariſchen Inhalts, l. c. p.* 93. *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie &c. l. c. p.* 352. *Allgemeines hiſtoriſches Lexicon. Baſel. Tom. III.*

(*q*) V. *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie &c. l. c. p.* 353.

etiam pactum ſalarium in annos octo anticipato eidem ſolvit (*r*).

Sed hæc aliaque miſſa faciens, ad ea, quæ meum Inſtitutum propius attingunt, ſcilicet litterarios *Noſtri* labores recenſendos pergo. Quo loco id oppido mirandum occurrit, hominem, bono publico promovendo occupatum, & ſpinoſiſſimis negotiis diſtentum, Muſis litaviſſe: vetuſtis Scriptoribus in vernaculam linguam convertendis edendisque operam dicaſſe: multis denique aliis litterariis curis ſedulo ſeſe impendiſſe. Itaque Opera, quæ repperi a *Noſtro* profecta, ſunt ſequentia.

I. Pſalterium ex latino *Joannis* KAMPENSIS, germanice verſum, hoc titulo: *Verteutſchung aller Pſalm wie die Joannes Campenſis nach Hebreiſcher warheit in das Latein gebracht hat. Zu gunſt Teutſcher nacion on glos und außlegung verſtentlich und lauter gemacht.* Anno M. D. XXXIV. in 12°. In fine legitur: *Gedruckt in der Kaiſerlichen Stat Augſpurg, Durch Alexander Weyſſenhorn.* Præfatio data eſt a *Noſtro Norimbergæ* 20. Maii, 1534. *Primam* hanc editionem, quam *Jac.* BRUCKERO, *Jo. Georg.* SCHELHORNIO, aliiſque maximi nominis Litteratis, ipſi etiam *Dom.* PANZERO, Viro in Bibliorum & partium eorundem editionibus antiquis explorandis ac recenſendis ſtudioſiſſimo, penitus ignotam ab oblivione unus, SCHWARZIUS, Profeſſor Academiæ *Altdorfinæ* vindicavit, (*s*), ſecuta eſt anno 1536. editio *altera*, in 12°. ad cujus calcem legere eſt: *Getruckt zu Augſpurg durch Sylvanum Otmar. Im Jar M. D. XXXVI.* Iſtius editionis meminerunt SCHELHORNIUS, BRUCKERUS, &

(*r*) V. *Beyträge, l. c. p.* 353. 354. STROBEL *Miſcellanem, l. c.*

(*s*) V. STROBEL. *l. c. p.* 95.

& PANZERUS; cui poſtremo notitiam quoque editionis *tertiæ* hujus *Pſalterii* debemus, impreſſæ anno M. D. XLVI. in 12°. *Auguſtæ* a *Melchiore Kriegſtein.* (*t*)

II. Tractatus de Laudibus & Utilitate Muſicæ, hoc titulo: *Vom preis, lob und nuzbarkeit der lieblichen kunſt Muſica, durch den hochgelerten Herrn Georgen Frölich Stattſchreiber zu Augſpurg, ain kurze Anzaigung fürgeſtellt.*

„ *Georgius* LÆTUS Archigrammateus
„ Auguſtæ Vindelicorum.
„ Quod venit a ſacris, ſolum eſt laudabile Muſis:
„ Exprimit æthereum Muſica ſola melos. "

In fine legitur: *Geben zu Augſpurg, an dem XXIX. tag Septembris, des M. D. und XL. Jars. Zu Augſpurg, Truckts Melcher Kries Stein.*

Hoc Opuſculum, memoriam *Noſtri* innovaturus & poſteritati commendaturus, *Frid. Jac.* BEYSCHLAGIUS (in *Sylloge III. Opuſc. var. p.* 569 - 581.) typis recudi fecit (*u*).

III. ISOCRATIS *de Regno Liber.* 4°. *Auguſtæ Vindelicorum.* 1548. *Philippus Ulhardus excudit.* Hunc *Noſter* a *Thoma* NAOGEORGO in linguam *latinam* verſum imprimi curavit: *germanicum* autem in ſermonem ipſemet traduxit. Latinam Editionem nuncupavit CAROLO V. Imperatori, & FERDINANDO I. Regi Romanorum, haud dubie eo fine, ut iſtorum Principum ſibi gratiam ac benevolentiam aucuparetur:

Divo Imperatori Carolo V. Auguſto, & Divo Ferdinando &c. ſeſe conſecrat.

Iſocratis *Philoſophi & Oratoris excellentiſſimi* Liber de

(*t*) V. *Ibidem*, *p.* 96.

(*u*) V. *Ibidem*, *p.* 96. 97. *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie &c. l. c. p.* 355.

Digitized by Google

de Regno, *Imperator & Rex illuſtr^{mi} potent^{mi} invictiſſimique! per* Thomam Naogeorgum, *multa eruditione Virum, Germanum, haud ita pridem è græco in latinum ... verſus eſt; qui cum primitivo Auctori dignus habitus ſit, ut in magni quondam Principis, Nicoclis, Cypriorum regis conſpectum prodiret: atque* Translator ipſe *mihi*, cui velim, *dedicandi ſuum laborem libera mente facultatem feciſſet, nulla mihi deliberatione opus fuit, quin e veſtigio veſtras Majeſtates .. hoc genere officiorum ..* venerarer & ſuſpicerem ... *Incidimus .. nuper in* Iſocratis, *ſummi Viri*, Librum ſuper adminiſtrando regno, *quem cum non putaverimus indignum veſtris Majeſtatibus* ... Naogeorgus latinum, ego *vero* germanum *facere aggreſſi ſumus, eoque hoc nomine in publicum dato obſervantiam erga Majeſtates veſtras vel levi ſaltem ſpecimine conteſtari.* - - - - - - - -

Deditiſſimus

Georgius LÆTUS
Reipubl. Aug. Vindel. ab Epiſtolis.

Ex allatis patet, *Noſtrum* non ſolum (quod *Georg. Theod.* STROBEL (*x*) aſſerit) Diſticho honorario ornaſſe hanc ISOCRATIS editionem, ſed illius plane procuratorem præſidemque fuiſſe. Exemplar *latinum* vidi in Bibliotheca *Collegii* quondam *Societatis Jeſu, Auguſtæ:* Exemplar vero *germanicum* hujus Libri, a *Noſtro* traducti, hactenus nullum in manus meas incidit. Hinc an Verſionem ſuam is publicarit, nec ne, dicere vix auſim.

IV. *Joannis* STOBEI *ſcharpſinniger Sprüche, aus den Schrifften der allervernunfftigſten, eltiſten, Hochgelerten Griechen, inn der Zale, ob zwaihundert unnd fünffzig zuſammen getragen. Ain übertref-*

(*x*) V. STROBEL. *l. c. p.* 104.

treffenlich, alle menſchliche tugendt unnd vernunfft innhaltend, Buch. Durch Georgen Frölich, genant Letus, von der Lömniz, erſtmals aus Latiniſcher, in Teutſche ſprache gebracht, im jare der geburt Chriſti MDL. Mit ainer Vorrede, den wege zum verſtandt und nuzbarkait diſſes herrlichen Buchs, klärlich zaigende.

In teutſcher ſprach nie kam an tag,
Was diſes Buchs innhalt vermag.

In fine leguntur ſequentia: *Zu Baſel bey Johann Herbſt, genannt Oporino, als man zalt nach der geburt unſers Herrn nnd Seligmachers Jeſu Chriſti, Tuſend, fünffhundert, fünffzig und ein Jar* (*). Dedicavit hunc Librum *Noſter* anno 1550. 14. Maii, *Kaufburæ*, univerſis Mæcenatibus & Amicis ſuis: Exemplarium unum autem, Inſcriptione elegantiſſimis litterarum ductibus exarata (y) munitum, Bibliothecæ publicæ *Auguſtanæ* dono obtulit. Quod ad ipſam *Verſionem*, quam ex latino *Conradi* GESNERI, amici ſui in paucis chari fecerat, attinet, eam *Jac.* BRUCKERUS in Libro: *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie der deutſchen Sprache &c. XIX. Stück. p.* 356. *ſeqq.* acri longaque cenſura exagitavit; quam contra, prolixa itidem apologia, *Noſtrum* defendendum ſibi ſumpſit *Georg. Theodorus* STROBEL in Libro: *Miſcellaneen litterariſchen Inhalts. VI. Sammlung. p.* 98. *ſeqq.* Iſtos duos Auctores conſulere poterit Lector, hujuſcemodi concertationum curioſus; quæ demum eo plurimum recidunt: Majorum noſtrorum labores litterarios non tam diſtricto judicio ſubjici debere, multis eos ſtudiorum

(*) Aliam Editionem anni 1555. (niſi forte ſit ſphalma typographicum) ab *Oporino* factam memorat *Joſ.* SIMLERUS in *Bibliotheca*, *pag.* 271.

(y) V. STROBEL. *p.* 98. *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie &c. l. c. p.* 349.

diorum adjumentis, quæ nobis præſto ſunt, defeciſſe; ob eamque cauſſam hoc honoris illis ſemper tribui debere, quod primi tam ardua difficiliaque auſi ſint; prout auſus eſt *Georgius* noſter in STOBÆO, ſcriptore obſcuriſſimo abſtruſiſſimoque.

V. *Epiſtolæ.* Harum aliquas hinc inde repperiri monuit Liber: *Allgemeines hiſtoriſches Lexicon, Baſel. Tom. III. p.* 617. Tres allegat *Georg. Theod.* STROBEL, earum ſummam breviter (z) exponens; quem ſi libet, adito.

Præter has Lucubrationes aliam nullam comperire hucusque potui, a *Noſtro* publici juris factam; *Carmina* ſi excipias, quibus pro more illius ævi Amicorum ſuorum Scripta ornare pulchrum duxit. Sic ISOCRATI *Naogeorgiano*, ut ſupra dictum eſt, *Diſticho*; & BOCATIO *de Caſibus Virorum illuſtrium*, 1544. abs *Hieronymo* ZIEGLERO *Auguſtæ* vulgato, *Carmine* Verſuum *octodecim*, quo haud illepidus verſificator fuiſſe cognoſcitur, proluſit; & ſi quæ ſunt alia forte hujusmodi, in Libris illius ætatis occurrentia.

Narrat inſuper *Noſter*, in Præfatione ad STOBÆUM ſuum, cui multas vitæ ſuæ circumſtantias ſuperius allatas interſeruit, ſe, antequam STOBÆUM vertere aggreſſus eſſet, *Librum* quendam *latinum* ſcribere orſum, multumque in eo progreſſum eſſe: jam vero ſe STOBÆO totum dicaſſe. Quis *Liber* iſte *latinus* fuerit, num finem ſortitus, num typis excuſus ſit, omnia in obſcuro ſunt. His adde, quod *Joſias* SIMLERUS in *Bibliotheca*, *p.* 271. monet, nimirum *Noſtrum* varia *Epigrammata* eruditiſſime ſcripſiſſe, forſan aliquando in lucem ventura; quod an factum ſit, dicere non habeo.

(z) V. STROBEL. *l. c. p.* 104.

LAN-

LANGENMANTEL (*Hieronymus Ambroſius*)

Gente patritia, inter *Auguſtanas* cum primis (*a*) vetuſta ac inclyta, ſatus eſt *Noſter*; de quo tam raras, tamque curtas notitias eſſe, merito jure doleo, mecumque (ut haud temere conjicio) univerſi rei litterariæ amatores dolebunt. Originem duxit *Hieronymus Ambroſius* ex ea Gentis LANGENMANTELIÆ ſtirpe, quæ ab oppido *Weſtheim*, uno circiter milliari ab urbe *Auguſta* diſſito, nuncupatur. Quantam annis adhuc junior diligentiam optimis litterarum ſtudiis impenderit, ſatis claro argumento eſt ea, quam ex illis hauſit, editisque ſuccedente tempore libris comprobavit, eruditionis doctri-

(*a*) *Clemens* JAEGER, Miniſter publicus Senatus Auguſtani, in Opere ſuo anecdoto: *Von Ankunft des uralten adelichen Geſchlechts der Herren* REHLINGER, *jetziger Zeit in Augſpurg.* plane pertendit: gentem LANGENMANTELIAM omnium earum, quæ *Auguſtæ* ſunt, antiquiſſimam eſſe. Verba ejus hæc ſunt. „Wiewohl diſe Statt „*Augſpurg*, wie zuvor gehŏrt, vül ſchwerer Krieg, „Brünſten, und Zerſtŏhrung von der ehe des H. R. „Reichswegen erlitten, ſo iſt doch gewiſslich wahr, „daſs die Herren LANGENMANTEL *das ältesſt Geſchlecht in* „*Augſpurg* ſo noch im Leben, iſt; dan ſie in den Rŏ„miſchen Beſazungen die hoche Befehl erlangt, auch „durch ihre Mannlichkeit, Dignitet, und Ehr des LANG„MANTELS, (welches bey denen Rŏmern denen allein „zutragen zugelaſſen worden, ſo in den hochen Aem„ptern des Rŏmiſchen gemeinen Nuz geweſen) erlangt „und getragen: welcher ehrlichen Kleidung ſich die „wohlernante Herren LANGENMANTEL, auch nachdem „die Rŏmiſche Beſatzung zergangen. ein lange Zeit mit „ehren gebraucht, dardurch ſie von menniglichen *die* „LANGENMANTEL genannt worden: und wurden in Rä„then allhier in allen Ehren gehalten. &c. &c. &c." Et rurſus, in eodem *Opere*, affirmat alibi: *Rüdigerum* LANGENMANTEL ſeniorem, jam anno MCCXXII. geſta *Duumviratus* dignitate claruiſſe.

doctrinæque copia. Anno MDCLXIII. inter *Inſcriptos* Academiæ *Ingolſtadienſis* recenſetur *Noſter*, in *Annal.* ejusdem *Academiæ*, *Tom. II. p.* 358. qui, cum ſe poſt ſtatui eccleſiaſtico mancipaſſet, facilemque ad ejus ordinis dignitates viam, claræ proſapiæ ergo, haberet, anno MDCLXVI. *Canonicus ad S. Petrum,* Auguſtæ (*b*) creatus eſt. Quadriennio poſt, anno videlicet MDCLXX. etiam in Eccleſia collegiata *SS. Mauritii & Sociorum*, *Canonici* (*c*) dignitatem obtinere meruit. Hic ſtudiis colendis, libris edendis, Virorum litteratorum amicitiis fovendis intentus vitam duxit, donec anno MDCCXVIII. 5. Decembr. ætate gravis, *Senior* Collegii *San-Mauritiani*, ſpiritum Creatori reddidit.

Fuit *Noſter*, præter *Latinam*, *Gallicæ, Italicæ*, *Hiſpanæ*, & *Polonicæ* linguarum gnarus (*d*). *Orientalium* quoque linguarum negligentem fuiſſe minime, ex eo colligitur, quod *Athanaſio* KIRCHERO mandatum dedit, harum Lexica & Grammaticas non exiguo pretio à *Congregatione de propaganda fide* coemendi, ſibique transmittendi; uti legere eſt

(*b*) V. *Corbin.* KHAM *Hierarch. Auguſt. P. II. colleg. p.* 83.

(*c*) Vide eundem, *l. c. p.* 69.

(*d*) *Gallicam* linguam noviſſe *Noſtrum*, ſatis declarat Liber in ejus idiomatis defenſionem editus, inferius *No. I.* allegandus. *Italici* ſermonis peritum fuiſſe, prodit *Faſciculus Epiſtolarum Athanaſii* KIRCHERI, *Soc Jeſu.* a *Noſtro* vulgatus, in quo plures Epiſtolæ italico ſermone ſcriptæ occurrunt: item Verſiones Librorum utriusque linguæ, a *Noſtro* adornatæ. *Hiſpani* ſermonis callentem fuiſſe, patet ex Epiſtola ad Cardinalem *Everardum* ſcripta, cujus mentio fit in prædicto *Faſciculo Epiſtolarum &c. p.* 44. *Polonicum* idioma ſibi non ignotum fuiſſe, ipſe oſtendit in Libro: *Anatomia Orthographiæ Linguæ Gallicæ*, inferius *No. I.* laudando.

eſt in *Faſciculo Epiſtolarum* ejusdem KIRCHERI a *Noſtro* edito, *pag.* 57. Fuit *mathematici* præprimis ſtudii cultor eximius: In eum finem & Teleſcopium ſibi ab *Athanaſio* KIRCHERO *Soc. Jeſu*, viro doctiſſimo, ſibique amiciſſimo (*e*) mitti, Tubi item optici conficiendi modum indicari enixe poſtulavit (*f*): & præterea in domo ſua quoddam *Obſervatorii* genus (uti a Senioribus, fide omnino dignis, comperi) exſtrui ſibi fecit; ut nil dicam, eum *Lexicon mathematicum* aut vulgaſſe, aut (ſin hoc minus factum) ſaltem de eo vulgando quam maxime cogitaſſe. Utcunque ſit, ſuperat indubitatum mathematicæ doctrinæ, qua *Noſter* polluit, documentum *Calendariolum ſeu Computus eccleſiaſticus*, de quo inferius dicetur. Fuit *Noſter* Viris eruditis ævi ſui, maxime ſupradicto *Athanaſio* KIRCHERO, & *Stephano* BALUZIO (Magna, credo, in Republica litteraria nomina!) amiciſſimus. Et hujus quidem (puta BALUZII) Epiſtolæ ad *Noſtrum*, in quibus de MABILLONIO, DU FRESNIO, PETITO, MOLINETO, VALESIIS, COTELERIO & aliis acute judicatur, leguntur apud TENZELIUM in *Colloquiis menſtruis anni* 1692. *p.* 675. Illius autem (puta KIRCHERI) Epiſtolis nonnullis *Noſter* lucem dedit, de quibus infra ſermo recurret. Hinc merito jure *Hieronymus Ambroſius* noſter a *Corbin.* KHAM, in *Hierarch. Auguſt. P. I. cathedr. p.* 75. audit *eximius litteratorum Virorum cultor & encomiaſtes.* Fuit præterea *Collega Academiæ Cæſareo-Leopoldinæ Curioſorum Naturæ*; in quod venerandum *Collegium* cum adſcribebatur, agnomen (*Solon*)

(*e*) V. *Faſciculum litterarum Athanaſ.* KIRCHERI, a *Noſtro* vulgatum, *pag.* 40.

(*f*) Vide ibidem, p. 45.

lon) fortitus eſt (*g*). Fuit denique Membrum *Societatis*, ſeu *Ordinis palmiferi* (vernacule (*h*) *der fruchtbringende Palm - Orden*) linguæ Germanicæ excolendæ perpoliendæque gratia inſtituti; cui adnumeratus agnomen (*Der Wenige*) accepit: Hinc inter *varias* ad hunc Ordinem pertinentes *ſcripturas*, quæ partim manuſcriptæ partim impreſſæ in *Dresdenſi* ſervantur Bibliotheca, occurrit nonnihil Epiſtolarum *Noſtri*, teſte Libro: *Merckwürdigkeiten der königl. Bibliothek in Dresden, Tom. III. p.* 513.

Ex iis, quæ hactenus de *Noſtro* attuli, dijudicatu facile eſſe, arbitror, quod is permagna doctrinæ laude floruerit, & abs Viris ætatis ſuæ doctiſſimis, ipſe *doctiſſimus* (ut ait *M. Joh. Chriſtoph.* WENDLERUS in *Diſſert. II. de Meritis Reipubl. Auguſt. in Rem litterariam. p.* 69.) maximo in honore habitus fuerit. Itaque ad Opera, quæ tum ſuo Marte ipſe ſcripſit, tum ex aliis linguis tradu- cta Germanicæ conſuetudini tradidit, tum etiam prius ab aliis edita noviter vulgavit, recenſenda pergo.

I. *Anatomia Orthographiæ Gallicæ, ſeu de Vi & Poteſtate litterarum Gallicarum contra Oſores: Huic accedet bipertita Epitome Homonymorum ejusdem Linguæ. Auguſtæ Vindel. Prælo Schönigkiano, ſub Porta PP. Diſcalceatorum.* 1668.

Auctor in hoc Opere ſe linguarum *Gallicæ*, *Italicæ*, *Hiſpanæ*, *Polonicæ*que gnarum prodit, eaque re ad illud ſcribendum ſe impulſum fuiſſe fatetur:

(*g*) V. *Catalogum Collegarum*, *Actis phyſico-medicis ejusdem Academiæ* præfixum, *Tom. I.*

(*h*) De hujus Societatis origine, præſidibus, denique fine videri poterit *Nicol. Hieronym.* GUNDLING in *Hiſtorie der Gelahrtheit.* 4o. *p.* 3209.

tur : „ quod ajunt Zoili quidam , linguam (*Galli-„ cam*) defectuoſam eſſe : queritant illius in litte-„ ris otium & abundantiam : aſſerunt eam inutili-„ bus prægrandibusque Diphtongorum & Conſonan-„ tium involucris irretiri , contegi & confundi: inde „fieri plerumque,ut,quæ manus ſedula in charta no-„tet,ab hac Lingua parce efferatur. &c." Editionem hujus Operis aliam , quam nunquam vidi , anni 1669. 12°. aſſignat *Martinus* LIPENIUS in *Biblioth. philoſophica p.* 554. qui idem aſſerit *l c. p.* 554. & 683. *Noſtri* , *Amanuenſem Gallicum* , *ſeu Homonyma ſignificationis Gallicæ.* 12°. Anno 1672. fuiſſe excuſa. Penes hunc ergo fides eſto.

II. *Panoplia genethliaca Auguſtanæ Nobilitatis. Accedit facies Reipublicæ Auguſtanæ ariſtocratico-democratica.* 8. *Auguſt. Vindel.* c. fig. *Apud Joann. Schönigk.* 1668.

Opuſculum hoc latino - Gallicum eſt. Ejus titulum ſic effert Perilluſtris D. *Paulus a* STETTEN *ſenior* , in *Anteceſſione* , ad *Hiſtor. Auguſt.* vernacule ſcriptam , *de Scriptor. Rer. Auguſt.* §. *II. n.* 31. „ Panoplia , ſeu arma gentilitia Auguſtanæ Nobili-„ tatis , cum fig. æneis , ex Lexico terminorum „ ſcutariorum. 8°. " *Noſter* dedicavit illud Senatui *Auguſtano. Martin.* LIPENIUS in *Biblioth. philoſophica* , *p.* 1099. & 567. recenſet hujus Operis editiones anni 1669. 12°. & 1672. 8°. Notes velim , Lector ! *Faciem Reipublicæ Auguſtanæ Ariſtocraticæ Democratiæ mixtam* ſeorſim in *folio patenti* prodiiſſe. Hinc LIPENIUS *l. c. p.* 137. *b.* recenſet *Noſtri* , *Formam Reipublicæ Auguſtanæ modernam juxta Caroli V. Inſtitutum. fol.* 1672. *Auguſtæ.* Idemque Opus Perilluſt. D. *Paulus a* STETTEN *ſenior l. c.* §. *I. n.* 14. citare videtur ſub titulo : *Schematiſmus de Forma Reipublicæ Auguſtanæ.*

III.

III. *Schuzmantel unſer lieben Frauen.* 12°. *Augſpurg.* 1672. Vide *Mart.* LIPENII *Biblioth. Theolog. Tom. II. p.* 237. *b.*

IV. *Maximilianus I. Auſtriacus redivivus* : *olim a P. Jacobo* BALDE *conſcriptus, nunc iterum in lucem protractus ſtudio H. A.* LANGENMANTEL. 8. *Auguſtæ.* 1679. *Typis Koppmayerianis.*

V. *Faſciculus Epiſtolarum A. R. P. Athanaſii* KIRCHERI *Soc. Jeſu* , *Viri in mathematicis & variorum idiomatum ſcientiis celebratiſſimi* , *complectentium materias philoſophico - mathematico - medicas.* 8°. *Auguſtæ Vindel.* 1684. *Typis Utzſchneiderianis.*

Viri eruditi , ad quos hæ KIRCHERI Epiſtolæ datæ , ſunt *Lucas* SCHROECKIUS *ſenior* & *junior* , *Hieronymus* WELSCHIUS , ANKELIUS , LANGENMANTELIUS ipſe. Opus dicavit *Noſter* Principi JOANNI CHRISTOPHORO Eccleſiæ *Elvacenſis* Præpoſito , primusque has Epiſtolas orbi litterato dedit. Huic *Faſciculo* &c. addidit *Noſter* (teſte *Chriſtian. Gottlieb.* JOECHER in Opere *Gelehrten Lexicon* , verbo KIRCHERUS) *vitam* KIRCHERI , ab ipſo KIRCHERO ſcriptam ; ſed in Exemplari dicti *Faſciculi Epiſtol. &c.* , quod extat in noſtra , *FF.* VEITHIORUM , Bibliotheca , non reperitur hæc KIRCHERI *Vita.* Ob id dicere nequeo , an recte moneat JOECHERUS , necne ?

VI. *Die gekrönte Unſchuld* , *oder Leben der frommen Hirlandin.* 4°. *Augſpurg.* 1690.

Hanc Vitam ex Gallico P. *Renati de* CERIZIERS traduxit *Noſter* , dicavitque *Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ* Imperatrici. In titulo nomen ſuum ſic indicat : *Durch ein Mitglied des berühmten Palmen-Orden* , *genannt* : DER WENIGE.

VII. *Calendariolum* , *ſeu Computus eccleſiaſtico-aſtronomicus* , *calculatus pro elevatione poli Viennen-*

ſis & Auguſtani, in quo pro ſingulis horis & quadrantibus omnia momenta venari poſſunt ope Quadrantis (quem uſum etiam præſtat ipſum compactum Calendariolum, in cujus uno latere deſcriptus eſt Quadrans) diviſus in gradus & minuta. 8°. *Typis Koppmayerianis. Auguſtæ.* 1690. *Impenſis Auctoris.*

Hoc dicavit *Noſter* JOSEPHO I. Romanorum Regi. In fine occurrit *Admonitio & Uſus Tabularum ad benevolum Lectorem*, quæ in hæc verba finitur: „ Deo dante & vires largiente anno ſequente accu„ ratiores Tabulæ prodibunt. Interim benevolus „ Lector contentus ſit hoc tumultuario Opere, quod „ *inter Regias & Serenas turbas* (*i*) in lucem ægre „ ſeſe eluctabatur. "

VIII. *P. Pauli* SEGNERI *S. J. Vollkommener Unterricht eines wahren Chriſten.* 4°. *Augſpurg* und *Dillingen.* 1696.

Opus ex *Italico* verſum.

IX. *P. Ludovici* MAIMBOURG, *S. J. Auserleſene Faſten-Predigen.* 4°. *Augſpurg.* 1702.

Opus ex *Gallico* traductum.

X. *Patritii Macrotheriſtri Pretioſum a Vili; ſeu de Latinitate merito, & immerito reprobata Liber.* 8. *Auguſtæ.* 1704.

Macrotheriſtrus, vox eſt, ex μακρος (*longus*) & θεριςρον (*veſtis æſtiva*, fors etiam *pallium*) compoſita: hinc reſpondet voci germanicæ: LANGENMANTEL. Prodit ſe in hoc Opere *græcæ* linguæ non imperitum *Noſter*, cui illud diſertis verbis adſcribit M. *Joh. Chriſtoph.* WENDLERUS in *Diſſertat. II. de Meritis Reipublicæ Auguſtanæ in Rem litterar. p.* 70.

XI. *P. Caroli Gregorii* ROSSIGNOLII *ewige Grundwarheiten ausgelegt, und abſonderlich eingerich-*

(*i*) Haud dubie innuit JOSEPHI I. electionem in Regem Romanorum, *Auguſtæ* hoc anno, 1690. factam.

richtet zum geiſtlichen Leſen. 8. *Augſpurg* und *Dillingen.* 1712.

Opus ex *Italico* translatum.

XII. *Pinacotheca chronologica, ſive Imagines ampliſſimorum Duumvirum Civitatis Auguſtanæ. fol. Auguſt. Vindel.* 1717.

Vide *Jo. Georg.* LOTTERI *Hiſtoriam Vitæ Conradi* PEUTINGERI, *p.* 27. *in Notis.* Opus hoc, quod anno 1657. *Auguſtæ* germanico idiomate prodierat, latine a ſe converſum *Noſter* dicavit Senatui *Auguſtano.* Vidi aliam quoque Editionem anni 1715. in Bibliotheca Collegii, quondam *Societatis Jeſu*, *Auguſtæ.* Conſule etiam Perilluſtr. *Pauli a* STETTEN *ſenior. Anteceſſionem* citatam ſuperius, §. *II. n.* 39.

XIII. OBSERVATIONES *Noſtri* ſequentes extare in *Miſcellaneis Naturæ Curioſorum, Dec. II. A.* 7. tradit *Joann. Jacob.* MANGETUS (*k*):

1. Obſervatio de Verme, narcotica virtute prædito.
2. Obſervatio circa Salamandram in igne vivam & mortuam, & quatuor Elementorum artificioſam præſentationem.
3. Obſervatio. Miſcroſcopii *Tortoniani* fabrica tam exterior quam interior, melius concepta & explanata.
4. Obſervatio de Oſſibus elephantum.
5. Obſervatio de Oſſium mollitie.
6. Obſervatio. Noxa ſumptarum Cantharidum.

XIV. *Lexicon Mathematicum.*

De hoc *Dictionario* ſæpius mentionem facit *Athanaſ.* KIRCHERUS in *Faſciculo Epiſtolarum*, ſuperius *No. V.* allegato. Sic *ibidem*, *p.* 32. *Noſtrum* ad illud condendum his verbis hortatur: *Te igitur hor-*

H 2 *tor,*

(*k*) In *Bibliotheca Scriptorum Medicorum*, *fol. Tom. II.* p. 29. 30.

tor, atque obnixe precor, ut humeros oneri ſubmittas,& quamprimum Opus adeo omnibus proficuum auſpiceris &c. Et iterum, *pag.* 33. *Magno animi mei ſenſu intellexi tuum de* Dictionario mathematico *conſcribendo inſtitutum; operæ pretium facies, ſi id in Reipublicæ litterariæ emolumentum quantocyus producas.* Hæc KIRCHERUS ad *Noſtrum* annis 1668. & 1669. Anno autem 1674. 3. Novembr. ſcribit (*loc. cit. p.* 51.) *Gaudeo te jam omnibus numeris abſolutum tenere* Lexicum *tuum, quod utique magno uſui & emolumento proderit omnibus mathematum tyronibus, imo ipſis magiſtris.* Quando vero, & ubi, hoc Opus *Noſter* prælo ſubdiderit, dicendo haud ſum; cum mihi illud oculis uſurpare nunquam licuerit. Typis exſcriptum haberi, teſtatur *Jo. Andr.* FABRICIUS (*l*) his verbis: *Von mathematiſchen Lexicis ſind wenige vorhanden, als Conrad* DASYPODII, *Hieron.* VITALIS, *Hieron. Ambroſii* LANGENMANTELS &c. De hoc Opere ſequentia in ſua *Bibliotheca vet. & nova* habet *Georg. Matth.* KOENIG: „ *Hier. Ambroſ.* LANGENMANTEL *compoſuit Dictionarium mathematicum, Anno* 1670. "

XV. *Chriſtophori Griembergeri S. J. Tabulæ, ſeu Liber Conſtellationum.*

Hunc *Noſter* ab *Athanaſio* KIRCHERO ſibi ſubmitti, ut eundem novis annotationibus a ſe auctum denuo ederet, impenſe rogavit, & obtinuit. In *Faſciculo Epiſtolarum* ſuperius *No. V.* allegato ſic loquitur KIRCHERUS, *p.* 53. *Quantum ad* Tabulas Grinbergianas *attinet, eas ego tibi propediem tranſmittam non obſtante unico, quo fruor, exemplari; quas ſi publici juris feceris adjunctis Annotationibus quibusdam in uſum tyronum, præprimis de novo invento,*

(*l*) In Libro: *Abriſs einer allgemeinen Hiſtorie der Gelehrſamkeit, Tom. I. p.* 506.

vento , *& aſteriſmorum uſu & praxi*, *magno ſane Rempub icam litterariam beneficio afficies.* Ita KIRCHERUS anno 1674. 29. Decembris. Et anno 1676. 29. Martii ſcribit idem , *l. c. p.* 65. Librum Conſtellationum a *P. Grienbergero ſumma cura & accurato ſtudio computatarum* , *hem! tibi ultimo per Ill. D.* FUGGERUM *conſignandum miſi* , *& tibi unice commendo* , *utpote quem tibi velût ultimum exemplar, quod reſtat* , *illuſtrandum tradidi. Quod ſi feceris* , *certe magno te merito apud Aſtronomos omnes, magna gratia te obſtricturum* , *certo tibi perſuadeas velim; ne libellus* , *tanto ingenio conditus* , *obſoletus tandem pereat.* Utrum poſthæc *Noſter* opem obſtetriciam, quam meditatus eſt , reapſe huic Operi attulerit, typis denuo vulgando , neſcio.

Reſtat unum adhuc Opus, quod *Noſter* meditatus eſt : ONOMASTICON παντοσόφον, de cujus editione facta , æque ac de prioris , nihil certi affirmare auſim. Meminit de illo ſæpius laudatus KIRCHERUS (Vid. *Faſciculum Epiſtolarum* ſuperius *N°. V.* allegatum) *p.* 38. ad annum 1670. his verbis : „ *Onomaſticum tuum* παντοσόφον felici progreſſu in „ magnam molem excreſcere , magna animi vo- „ luptate accepi. Opus erit , non eruditione dun- „ taxat , ſed & emolumento Reipublicæ litterariæ „ maximum , de quo iterum iterumque tibi con- „ gratulor. " Plura de hac Lucrubatione inveſtigare hactenus haud quivi , niſi quod *Georg. Matth.* KOENIG in *Biblioth. vet. & nov.* ait : „ *Hier. Ambroſ.* LANGENMANTEL *compoſuit... Dictionarium pantoſophicum* , *Anno* 1672. "

MARIANUS (*Chriſtophorus*)

Huic verum nomen *Daniel* MATTSPERGERUS (*a*) fuit ;

(*a*) Tradit *Joann.* SEIFERT in Libro : *Stamm - Tafeln gelehr-*

fuit; quod poſtea cum illo: *Chriſtophorus* MARIANUS (non *Chriſtianus* MARIANUS, ut mendoſe habet *Ch. G.* JOECHER in Libro: *Allgemeines Gelehrten-Lexicon.* 4.) commutare *Noſter*, condecens eſſe duxit: Hinc quoque eum MARIANUM appellare per hujus ſermonis complexum juvat.

Natus eſt MARIANUS *Auguſtæ* anno circiter reparatæ ſalutis MDLXIII. prout ex epitaphio ejus ad calcem attexendo erui poteſt. Patrem habuit Præconem acatholicum (*b*), a quo ſcientiis humanioribus diſcendis admotus, dum P. *Gregorium* ROSEFFIUM, quondam *Societatis Jeſu*, in æde cathedrali *Auguſtæ* ſacro e ſuggeſtu dicentem, unius anni ſpatio, clam ſuis omnibus, attente ſtudioſeque audit, ſenſim doctrinæ catholicæ veritatem ſoliditatemque agnoſcere, & de Eccleſia catholica ſentire reverentius cæpit. Hinc eundem ROSEFFIUM per litteras adit, innuens: ſe, plura privatim de catholicæ Religionis ſyſtemate cognoſcendi, permagna cupiditate teneri. Annuit petitis ROSEFFIUS: *Noſter*, nuntio LUTHERI doctrinæ remiſſo, caſtra catholica ſequitur. Ea re quas ſibi moleſtias acciverit *Chriſtophorus*: quasve offenſiones incurrerit, facile quivis divinarit. Harum *Hiſtoria Societa-*

gelehrter Leute, *Tom.* I. MATTSPERGEROS primitus vocatos eſſe MAETTSPERGEROS. Hinc *Hiſtoria Provinc. Societ. Jeſu Germaniæ ſuperioris*, *Tom. IV. p.* 221. *Noſtrum* vocat METTSBERGERUM, & *Annales Academ. Ingolſtadienſis*, a *Jo. Nepom.* MEDERER editi, illum *Tomo II. p.* 111. MAETTSPERGER nominant. Cæterum laudatus *Jo.* SEIFERT plura perperam de *Noſtro* affert, quæ ego verius enucleatiusque narro.

(*b*) Fuit is *Joannes* MATTSPERGERUS, qui circa illa tempora *Auguſtæ* LUTHERI dogmata populo annunciavit; de quo videri poterit Liber vernaculo ſermone editus: *Miniſterium Evangelicum*, *p.* 35. V. *Jo.* SEIFERT *Stamm-Tafeln. Tom. I.*

cietatis Jeſu Provinciæ Germaniæ ſuperioris , ex qua hactenus allata ferme omnia deprompſi, *Tom. IV. p.* 222. meminit (nec immerito ; cum ex his eluctatus *Noſter* ejusdem *Societatis* per longius temporis ſpatium fuerit alumnus) ferme ſequentibus verbis :

„ Viſus in æde B. Virginis a genero patris, do-
„ mique accuſatus male habetur a parentibus, &
„ colaphis miſere multatur. Per eam cauſam fuga
„ ſe ad ROSEFFIUM refert, jam id quoque efflictim
„ rogitans, ut aditum ſibi ad *Societatem* ille pate-
„ faciat. Miſſus igitur *Monachium*, ſed ex itinere
„ retractus a ſuis, dum incaute per urbem ducitur,
„ ſubito elapſus ad *S. Udalrici* evadit, communi
„ ſe hic aſylo uſurum clamitans. Fruſtra paren-
„ tes repoſcunt. Mutato habitu, incognitus, ad
„ noſtros refugerat. Mittitur a ROSEFFIO *Landsber-*
„ *gam.* Iterum per inſidias excipitur, domumque
„ vi pertractus, ne porro ullos conſpiceret Jeſui-
„ tas, *Lipſiam*, *Miſniæ* urbem, cum fida cuſtodia
„ ablegatur. Ibi *Nicolao* SELNECCERO (*c*) ſollicite
„ illum parens commendaverat. Hic mulcere ado-
„ leſcentis animum : reſerare bibliothecam : diſ-
„ ferere : diſputare : nil intentatum , quo eum
„ cum LUTHERO reconciliaret, omittere. Necquid-
„ quam univerſa. Submotis caute libris omni-
„ bus catholicis, unum in angulo imprudens ne-
„ glexerat ſolum, ECCII *Locos communes*. Incidit in
„ hos *Daniel*, his ſe tuetur, hos aſſidue cum græ-
„ cis Auctoribus volvit. Omni-opera luſa SEL-
„ NECCERUS reſcribit parenti : remittendum *Au-*
„ *guſtam* filium videri, tentanda extrema. Parens
„ revocat. Cuſtos cautiſſime, declinatis catholicis

 „ civi-

(*c*) De *Nicolao* SELNECCERO videantur *Chriſtian. Gottlieb.* JOECHERI *Gelehrten - Lexicon*, & *Auctores* ibi citati.

„ civitatibus, ducit. *Dillingam* tamen, per cauſ„ ſam pecuniæ in reſiduum iter ab amicis accipien„ dæ (egere quippe cœperat) evicit adoleſcens po„ ſtremo, ut diverteret. Ibi commode *Paulum* HOF„ FÆUM, Provincialem, offendit. Conſilio igitur „ ductori diſſimulato ſua iterum, *Societatem* pren„ ſantis, deſideria exponit. Flecti ſtatim HOFFÆ„ US (*d*) non potuit, ſuſpicatus fraudem; quod „ pridem, *Landsbergam* ire juſſus, minime veniſ„ ſet. Vim autem illi a ſuis factam intelligens, re„ cepturum promittit, modo ut ſe commode a cu„ ſtode expediat. Itaque rei ſuæ intentus adoleſcens „ urget ipſe cuſtodem, ut ſe quamprimum *Dillin*„ *ga* deducat, quaſi deſiderio patriæ. In diverſo„ rio deinde, medio jam itinere, lautius illum præ„ ter ſolitum habet. Summa nocte conſurgens „ ſilentio fugam parat; verum decidentis temere „ gladii excitatus ſtrepitu cuſtos injicit manum. Ne„ gat ſe *Daniel* ſomnum capere poſſe: vixque ex„ ſpectata luce urget iter impenſius. Cum jam „ propius abeſſent ab urbe *Auguſta*, remiſſo paula„ tim curſu velut plane defatigatus (nam pedibus „ iter faciebant) claudicantis ritu ægre incedit, „ proximamque ingreſſus tabernam componit lit„ teras ad parentem, ut currum ille ſubmittat, ne „ fœde claudicans cogatur urbem ſubire. Simul „ chartæ puræ inane folium in modum epiſtolæ „ complicat, idque inſcriptum parenti, & ſigna„ tum ductori tradit pro litteris perferendum. Fe„ fellit hominem dolus; ſuſpicio tamen mota eſt „ quædam. Deſert chartam; verumtamen pile„ um palliumque, adoleſcenti detracta, ſequeſtro

„ de-

(*d*)De *Paulo* HOFFAEO conſule ALLEGAMBE *Bibliothecam*, *p*. 364. WITTE *Diarium biograph. Hiſtoriam Societ. Jeſu Provinciæ Germaniæ ſuperioris.*

„ deponit apud hoſpitem, dum revertat: ſic cau-
„ tum fugæ exiſtimabat. Parenti, reſignata char-
„ ta, dolum aperit; frendet ille, furentique ſi-
„ milis, *inauditam ſtropham!* exclamat, *facinus*
„ *impium! ſcelus! Ductus es*, inquit, *mi homo!*
„ *qui duxiſti; næ iſte impoſtoribus Jeſuitis inſigniter*
„ *impoſtor ſerviet. Age tamen! Inſequamur curru.*
„ Interim *Daniel*, relicto pallio, pileo duntaxat co-
„ miter eblandito, *Dillingam* jam non claudus re-
„ petit, moxque a *Chriſtophoro* ROSETO, qui Col-
„ legio ibi *Hieronymiano* præerat, *Landsbergam*
„ ducitur, ubi nuper admodum erat domus proba-
„ tionis conſtituta. "

Hoc modo in *Societatem* ingreſſus *Noſter* (*e*) anno MDLXXVIII. vitæ ratione mutata, & nomen ſibi mutandum eſſe exiſtimans, *Chriſtophorus* MARIANUS appellari dehinc voluit. Toto autem tum tyrocinii religioſi, tum ſtudiorum tempore ita ſe geſſit, ut egregium *Societatis* alumnum *virtute*, *indole*, *doctrina*, *bonis dotibus*, *artibusque omnibus* prodiderit, gratus & æſtimatus cunctis, *per omnia ſtrenuus* & ſollers. Studiorum decurſo ſpatio, alios optimarum artium præceptis cum laude erudivit, brevique in academicas elevatus cathedras, anno MDLXXXVIII. circa Feſtum *S.Lucæ* in Academia *Ingolſtadienſi* Ethices & Græcæ linguæ præcepta tradere cæpit: Anno vero MDXC. in locum *Laurentii* EISZEPHII, qui ad Suffraganei munus vocatus fuerat *Eichſtadium*, ſuccedens *Caſus conſcientiæ* inibi docuit; uti monent

H 5 *Anna-*

(*e*) Errat oppido hoc loco *Hiſtoria Societ. Jeſu Provinc. German. Superior.* dum *Tom. IV. p.* 223. ait: *Noſtrum* anno ætatis decimo octavo *Societati* adſcriptum fuiſſe; nam cum primam anno 1563. lucem aſpexerit (uti epitaphium ejus clare prodit) anno 1588. non plus quam annos 15. natus eſſe potuit.

Annales Acad. Ingolſtadienſis, a *Jo. Nepomuceno* MEDERER vulgati, *Tom. II. p.* 112. & 122. donec anno MDXCI. translata in Patres *Societatis* profeſſura, ipſe, primus e ſuis, Theologiæ *moralis* ſeu *caſuiſticæ* docendæ muneri confirmatus eſt. (*) Antequam autem hoc munus denuo aggreſſus eſt, *Auguſta* iter faciens ad ſuos inviſit. In eo congreſſu quæ geſta ſunt, & quid parens ejus ipſe vitæ ſuæ poſtremis annis de ſua & catholica Religione, deque *Confeſſione Auguſtana* ſenſerit, reſcire ſi cupis, Lector! adi *Hiſtoriam Societ. Jeſu Prov. Germ. ſuperior. Tom. IV. p.* 223. quæ iſta ſuſe exſequitur.

Anno MDXCIV. *Noſter* ex Academia *Ingolſtadienſi* ad Imperii comitia *Ratisbonam* una cum *Gregorio de* VALENTIA profectus, in templo D. *Pauli* lingua vernacula ad concionem dixit, prout tradunt *Annales* dictæ *Academiæ* a *Jo. Nepom.* MEDERER publicati, *Tom, II. p.* 136.

„ Porro MARIANUS paucis poſt annis, cum ju-
„ niorum etiam tum ſacerdotum in numero cen-
„ ſeretur, neque aut periclitationibus Inſtituti *So-*
„ *cietatis* penitus omnibus defunctus, aut publica
„ votorum nuncupatione ulli gradui certo *Societa-*
„ *tis* addictus eſſet, GUILIELMI (**) *Bojariæ* Du-
„ cis

(*) *Hiſt. Soc. Jeſu Prov. Germ. ſuper. Tom. II. p.* 17. Conſentiunt *Annales Acad. Ingolſtad. Tom. II. p.* 126. ubi legitur ad annum 1591. „ Ad Facultatem theologicam duo „ recepti ſunt novi Profeſſores. *Joannes* ſcilicet RIEPE- „ LIUS. . . . & *Chriſtophorus* MARIANUS, Ethices antea „ Profeſſor ad Theologiam caſuiſticam , ut vocant. Fu- „ it is primus e Patribus *Societatis*. cui hæc Lectio tradita „ eſt a Sereniſſ. Duce *Guilielmo*: Tres habuit Lectiones „ quavis hebdomade, & quartæ loco inſtituit Repetitio- „ nem, magno auditorum emolumento. "

(**) Huic *Noſtrum* a ſacris *Confeſſionibus* fuiſſe, aſſerit *Jo.* SEIFERT in *Stamm - Tafeln gelehrter Leute. Tom. I.*

„ cis (ut opinio eſt) poſtulatu religioſæ guberna-
„ tioni admotus, *Monachienſi* Collegio primum pro
„ Rectore, deinde Rector, præficitur. Ibi vero an-
„ no MDXCVII. conſilium inſolens & inexſpecta-
„ tum omnibus cepit. Quippe privata quadam ne-
„ ceſſitate, cujus conſtare publice rationes nolu-
„ it, adductus mutandum ſtatum ſibi exiſtimavit.
„ Quæ ne ſacrilega deſertio Religionis foret, implo-
„ rata *Roma*, ut, quod reliquum eſſet ætatis, tran-
„ ſigere extra *Societatem* liceret, impetravit. *Mo-*
„ *nachio* autem atque ex *Bojoaria* vix dum diſceſ-
„ ſerat, cum late rumor increbuit: *Chriſtophorum*
„ MARIANUM, Collegii *Monachienſis* ad id tempus
„ moderatorem, & a *Societate*, & a fide catholica
„ defeciſſe. Cauſſam ipſe imprudens rumori præ-
„ buerat, dum in urbe quadam, a catholicis parti-
„ bus aliena, moras trahit itineri ſe comparans,
„ quod longiuſculum tum meditabatur. " (*f*)

Ea re factum, ut tum *Auguſtæ*, tum alibi variæ de *Noſtro* opiniones extiterint, & rumores admodum ſiniſtri hinc inde ſparſi ſint, quibus MARIANI nomen per Germaniam magnopere vapulavit. (*g*) Qua de re eos *Noſter* mox anno inſequenti, ſcilicet MDXCVIII. edito Libro, quod inferius *No. I.* a me recenſebitur, extinguendos, ſuamque & *Societatis* famam ab improbis hominum ſermonibus quam maxime vindicandam eſſe duxit; id quod etiam ſic præſtitit, ut ſe & *Eccleſiæ* catholicæ & *Societati* devotiſſimum comprobarit. Sed ad Vitæ *Noſtri* circumſtantias regredi præſtat.

MA-

(*f*) Iſta ferme verbotenus *Hiſtoria Soc. Jeſu Provinc. Germ. ſuper. T. IV. p.* 223.

(*g*) Horum rumorum auctores fuiſſe Miniſtros partis adverſæ, tradit *Hiſtoria Soc. Jeſu*, *l. c.* & ipſe MARIANUS in Opere ſuo *No. I.* inferius citando.

MARIANUS, jam ad Cleri ſæcularis inter Catholicos ſtatum translatus, eodem, quo *Societatem* reliquerat, anno nimirum MDXCVII. *Neythardum de* THUNGEN, *Bambergenſis* Eccleſiæ Præſulem convenit, perque eam Diœceſin in confiniis ditionis *Schwarzenbergicæ* ad animas in fide catholica vel firmandas, vel ab acatholica revocandas, omni ſtudio incubuit. Ea occaſione ab Illuſtr^mo^ Comite *Wolfgango Jacobo*, ejusque familia iteratis vicibus perbenigne ac familiariter exceptus eſt. Cum autem eruditionis,qua *Noſter* præditus erat, fama per eam regionem increbuiſſet, *Julius* Epiſcopus *Wirceburgenſis Noſtro*, anno MDXCIX. ad ſe acceſſito, Theologiæ moralis præcepta in ea Univerſitate tradendi provinciam demandavit, eodemque anno 24. Maii Eccleſiæ Collegiatæ *Novi Monaſterii* (vulgo *Neu - Münſter*) Canonicum renunciavit. Anno MDC. impetrata ab Epiſcopo & Eccleſiæ ſuæ venerabili Collegio facultate, ſacram domum *Lauretanam* & *Apoſtolorum* limina adiit, ut ſe voti, quod nuncupaverat, religione exſolveret. Reverſus in *Germaniam*, eodem anno ſub initium menſis Decembris Fratres *Joannem* & *Ferdinandum* ex Comitibus SCHWARZENBERGICIS, ſtudiorum cauſſa in Academiam *Wirceburgenſem* ablegatos, ex parentum commendatione curandos atque inſtituendos accepit, & Comitum horum uno, *Joanne*, fatis anno 1601. 5. Martii defuncto, in templo Academico de ſuggeſtu publice in illius laudem dixit. Anno MDCII. in album Capitularium Eccleſiæ ſuæ referri meruit : ſequenti vero, h. e. MDCIII. cum *Arcis Marianæ* encoenia permagna pompa celebrarentur, ipſe ad hujus ſolennitatis ſplendorem amplificandum *Panegyricum* elegantiſſimum compoſuit, annoque MDCIV. publicavit. Denique virtu-

tum

tum & doctrinæ meritis major, quam annis, die 27. Auguſti, anno MDCVII. ex hac vita diſceſſit, magno ſui deſiderio relicto. Extat in templo *Novi Monaſterii*, in quo tumulum ſortitus eſt, memoriæ ejus æternæ monumentum, quod eo lubentius hic annecto, quo luculentius multifariæ eruditionis, qua *Noſter* polluit, teſtimonium perhibet:

DEO. Opt. Max.
Revdo Domino *Chriſtophoro* MARIANO
SS. Theologiæ Licentiato,
Collegiatæ Novi Monaſterii Canonico,
Qui vere pius, ſolide doctus,
Prudentia, conſilio, facundia clarus,
Odio, invidia, faſtu, avaritia alienus,
Ob affabilitatem omnibus charus,
In variis Diſciplinis inſigniter exercitatus,
In SS. Litteris & orthodoxorum Patrum Scriptis
Optime verſatus,
Græcæ Linguæ peritiſſimus,
Concione, Scriptione,
Caſuum Conſcientiæ Lectione laudatiſſimus,
Catholicæ Religionis
Cultor ſinceriſſimus, Propugnator acerrimus,
Anno MDCVII. VI. Cal. Septembr.
Complurimorum mærore
Annum XLIV. agens, inopinata morte,
Huic Eccleſiæ corpus, animam Deo tradidit.
Monumentum hoc
Executores Teſtamenti poſuerunt. (*h*)

Scripta *Noſtri*, habita præmaturæ mortis ejus ratione ſat multa, inveni ſequentia.

I. *Demonſtratio una, de mille, vanitatis Miniſtrorum*

(*h*) Epitaphium hoc exhibet *P. Ignatius* GROPP, *Script. Wirceburg. Tom. I.* in *Præfat. p. X. & ſeqq.* cujus labore, quod ad poſtremos Vitæ *Noſtri* attinet articulos, uſus ſum.

ſtrorum verbi pſeudo-evangelici ... edita a Chriſtophoro MARIANO ... *quem a catholica Romana Eccleſia diſceſſiſſe vaniſſime jactitarunt.* 4°. *Ingolſtadii.* 1598.

Dedicavit hoc Opus *Noſter* pridie Calend. Martii 1598. ex *Obernſcheinfeld* , *Neythardo* Epiſcopo *Bambergenſi.* In ea dedicatione ait: ſe vix ab *Neythardo* ad reducendas quasdam errantes oviculas miſſum fuiſſe, cum mox Miniſtri evangelici in vulgus, tum in patria tum alibi, ſpargebant: MARIANUM a catholica Eccleſia defeciſſe, & ſemet cætui eorum aggregaſſe. Petit ſubin veniam , ſi quo forte duriori ſcribendi genere uſus ſit, cum ruri, non in urbe , ſcripſerit.

Hoc eſt Scriptum illud , quod eum maxime in finem vulgavit *Noſter*, ut duriuſculos rumores , de ſe ſparſos, ſopiret, panderetque, primum quantam haberet *Eccleſiæ* catholicæ reverentiam: deinde quantum honoris *Societati.* Hujus Libri præcipua capita excerpta exhibet *Hiſtoria Soc. Jeſu Provinciæ Germaniæ ſuper. P. IV. p.* 224. *& ſeqq.*

II. *Puerperium Marianum: U. L. Frauen Kindbeth, das iſt, ein Vorrath auserleſener Betrachtungen und Gebett ... gerichtet auf die* 40. *Tag von der freudenreichen Geburt Jeſu Chriſti an bis auf den Liechtmeſtag, welche Zeit unſere fromme alte Deutſchen*, unſer lieben Frauen Kindbeth, *genennt haben.* 4. *Coſtanz.* 1601.

Dedicatio a *Noſtro* data eſt ad *Annam Sybillam* Comitiſſam *de* SCHWARZENBERG, natam FUGGERIN: & *Mariam* FUGGERIN, natam *de* SCHWARZENBERG, quas *Oberſchönfeldæ*, monaſterio Virginum Ord. *Ciſtercienſ.* tribus circiter horis *Auguſta* diſſito, forte fortuna offenderat. Prodit ulterius, ſe tunc ſtatim in eo monaſterio annotaſſe, quæ ſibi

ſi de hac materia in mentem venerant: *Wirceburgi* dein ex febri, qua diutius laborarat, convaleſcentem id lucubrationis continuaſſe: denique & perfeciſſe, cum jam operam ſuam *Julio* Epiſcopo, ſe vocanti, locaſſet.

Ex hoc Opere videtur enatum aliud ſub titulo: *Stella natalitia: Weihnacht- oder Chriſt-Stern, das iſt: Ein Schatz voller geiſtlicher Gebett gericht auf* 40. *Tag von Chriſti Geburt bis auf Liechtmeſs.* 8°. *Ingolſtadt.*

III. *Convivium Evangelicum, in quo diverſarum partium Miniſtri evangelici cum D. Auguſtana Confeſſione hilariter accumbunt, & evangelice philoſophantur.* 4. *Monaſterii ad Almonium.* 1602.

Dedicatio a *Noſtro* ad *Quirinum* LEONINUM Præpoſitum Capituli cathedralis *Ratisbonenſis* dirigitur. Aliam editionem anni 1603. *Moguntiæ* in 8. factam memorant Auctores libri: *Sammlung von alten und neuen theologiſchen Sachen. Leipzig.* 8. ad annum 1732. *p.* 884. quibus, quippe prædictæ *Confeſſionis* Miniſtris, *Convivium* hoc nequaquam placuit. Rurſus aliam editionem *Moguntinenſem* anni 1606. laudat *Martinus* LIPENIUS in *Bibliotheca theolog. Tom. I. p.* 114.

IV. *Trophæa Mariana ob hæreſin triumphatam, grati animi cauſſa & voti perſolvendi, fixa in tholo Lauretano a Chriſtophoro* MARIANO *Auguſtano, S. Theologiæ Licentiato, & Profeſſore in Academia Wirceburgenſi &c.* 4°. *Urſellis Archiepiſcopatus Moguntini.* 1601.

In Dedicatione ad *Julium*, *Wirceburgenſis* Eccleſiæ Antiſtitem, 1600. VI. Idus Decembr. data hæc habet *Noſter*: „ Cum hoc anno ſæculari *voti reus* „ (vide, quæ ſuperius a me dicta ſunt) ad ædem „ Marianam *Lauretanam* cogitarem, & ad illud iter „ in-

„ ineundum ab Illuſtr^ma & Rev^ma Celſitudine veſtra „ miſſionem impetraſſem ... accidit ... ut impel- „ lerer quodammodo in voluntatem publice con- „ teſtandi beneficia, quæ ejusdem (*Mariæ*) pa- „ trocinio ... recepiſſem, ne temere potius inve- „ niſſe, quam, repudiato gentilitio, nomen a *Ma-* „ *ria* conſulto delegiſſe videar. "

Ceterum hoc Opus *Noſter*, partim in ſacro ac religioſo itinere conſtitutus, partim *Wirceburgum* redux ſcripſit, dicavitque ob id maxime *Julio*, quod ad labores pro Eccleſia hic potius (ut ait) quam alibi tolerandos ab eo invitatus ſit.

V. *Encænia & Tricennalia Juliana, ſive Panegyricus dicatus honori memoriæque RR^mi & Ill^mi Principis & D. D. Julii Epiſcopi Wirceburgenſis vigilantiſſimi, Franciæ orientalis Ducis meritiſſimi, P. P. &c. cum in monte Mariano Templum & Arcem ſumptuoſe renovata, ampliter aucta, magnifice condecorata, ipſo anno principatus XXX. publica omnium lætitia dedicaret.* 4°. *Wirceburgi.* 1604.

Inſcripſit hunc Panegyricum *Noſter* Capitulo cathedralis Eccleſiæ *Wirceburgenſis*; in qua dedicatione inter alia teſtatur: ſe *Petri* STEVARTII, SS. Theologiæ Doctoris & Profeſſoris in Academia *Ingolſtadiana*, amicitia uſum eſſe: *Wirceburgum*, lentæ & malignæ febri diu colluctantem, inſediſſe: tandem etiam invitante *Julio* Epiſcopo plane inhabitaſſe. Conſule *P. Ignatii* GROPP *Scriptores Rerum Wirceburgenſium*, *fol.* in *Præfat.* *p.* X. *& ſeqq.*

VI. *Concio in obitum Joannis ex Comitibus* SCHWARZENBERGICIS, *una cum Epiſtola conſolatoria ad Annam Sybillam Comitiſſam de* SCHWARZENBERG *de obitu ejusdem filii.*

Vide ſupra laudatum *P. Ignat.* GROPP *Scriptor. Rer. Wirceburgenſium*, *l. c.* NEU-

NEUMAYR (*Joſephus*)

Auguſtæ, patre molitore progenitus, ſacro ſeſe *Prædicatorum* Ordini mancipavit, in quo honorificis muneribus, uti *Prioris* tum *Auguſtæ*, tum *Eichſtadii* perſunctus eſt. In hoc poſtremo loco Principis & Epiſcopi *Joannis Antonii* gratia præcipua polluit, ab eo in *Confeſſarium aulicum* delectus. Pro vocationis ſuæ ratione prædicandi muneri potiſſimam curam impendiſſe videtur, ut a ſuis etiam *Prædicator generalis* renunciatus ſit.

Noſtri ſequentia repperi Opera concionatoria:

I. *Hortus Roſario - Marianus, das iſt: marianiſcher Roſengarten.* 4°. *Aychſtätt.* 1715. Opus dicatum ſuperius memorato *Joanni Antonio* Princ. & Epiſc. *Eichſtettenſi.* Accedit *Roſa myſtica de decem Foliis*, oder 10. *Roſenkranz - Predigen.*

II. *Funiculus triplex, das iſt: dreyfaches Band, mit welchem die menſchliche Herzen von der Welt-Boſheit ab - und zur Gottesforcht &c. gezogen werden, vorgeſtellt in einem dreyfachen Jahrgang Sitten - und lehrreicher Predigen für alle Sonn - und Feyer - Tag.* Horum Sermonum *Tomus I.* ſecunda vice prodiit *Auguſtæ.* 1721. in 4to. Additæ ſunt 10. aliæ Conciones *quadrageſimales*, ſub titulo: *Die zehen ſchwere Straffen, mit welchen Gott das verſtockte Aegypten - Land gezüchtiget.* Eorundem Sermonum *Tomus II.* exiit *Auguſtæ.* 1728. in 4to. Adjunctæ ſunt denuo 10. aliæ Conciones *quadrageſimales*, ſub titulo: *Sittliche Arzney wider den zehenfachen Auſſaz der Seelen.* Utrum autem dictorum Sermonum *Tomus III.* luci datus ſit, valde dubito.

ORTELIUS (*Abraham*)

Hujus extat:

Syntagma Herbarum. 1614.

Bibl. Auguſt. Alph. I. I uti

uti teſtatur *Mart.* LIPENIUS in *Bibliotheca medica*, *pag.* 204. qui idem, in *Indice* ejusdem *Bibliothecæ*, ORTELIUM hunc diſtincte *Auguſtanum* facit. Ceterum *Chriſtianus Gottlieb* JOECHER laudatum Opus *Abrahamo* ORTELIO *Antverpienſi*, haud dubie falſo, attribuit in Libro: *Allgemeines Gelehrten - Lexicon*, *Tom. III. p.* 1111.

PEUTINGERI & PEUTINGERÆ.

Poſt deſcriptam a me ſingulari Libello *Chuonradi* PEUTINGERI, *Auguſtani*, Viri longe doctiſſimi ac famoſiſſimi *Vitam* (*a*) haud aptius quidquam fieri a me poſſe exiſtimo, quam ſi ea, quæ de ceteris, hunc conſecutis, vel familiæ vel nominis ejusdem Viris litteratis ſollicita conquiſitione indagavi, brevi ſermone exponam; quo in negotio ita me geram, ut eos ſolum commemorem, quorum ingenii documenta aliqua, vel typis excuſa, vel manu ſcripta ſuperant.

Primus occurrit *Carolus* PEUTINGER, a quo *Homiliam*, *anno MDLXXVIII.* 20. *Julii*, *h. e. Dominica III. poſt Feſtum SS. Trinitatis in Eccleſia*

(*a*) Integer titulus Libelli hic eſt: *Hiſtoria Vitæ atque Meritorum Conradi* PEUTINGERI *JCti Auguſtani Poſt Jo. Ge.* LOTTERUM *novis curis illuſtratam multoque auctiorem edidit Franciſcus Antonius* VEITH, *Auguſtanus &c.* 8. *Aug. Vindel.* 1783. Hoc meum Opuſculum, etſi Scriptori *eruditarum Novellarum Norimbergenſium* (Nürnbergiſche gelehrte Zeitung. LXV. Stück.) non illaudatum abierit, tamen illius cenſuram, quod in eo *orthodoxiam* PEUTINGERI non contemnendis rationibus contra *Jac.* BRUCKERUM adſtruam, penitus effugere haud potuit. Sed tum bene feciſſet Criticus, ſi rationes meas enervaſſet, meisque argumentis alia firmiora ſolidioraque oppoſuiſſet; quod cum non poſſet, mordaci dente perſtringere librum meum, cæcoque partium ſtudio, quod mihi male imputat, ipſe abreptus ſuccentorem agere BRUCKERI, quam veritati concedere maluit.

ſia cathedrali Auguſtana habitam, in quodam Codice Bibliothecæ *Peutingerianæ* ſignato *MM.* 2.32. manuſcriptam vidiſſe ſe teſtatur V. Cl. *Andreas Felix* OEFELIUS p. m. Bibliothecæ *Bavaricæ*, dum vivebat, Præfectus (*b*). *Carolus* noſter nobili PEUTINGERORUM familia medio fere ſæculo XVI. ortus, cum annorum viginti eſſet, *Societati Jeſu* nomen dedit; in qua quatuor vota profeſſus, cum Philoſophiam, controverſaſque de Fide quæſtiones explanaſſet, jamque divinas interpretari Litteras aggreſſus eſſet, ad Verbum divinum in ſacris cathedris annunciandum avocatus fuit, ſic ad primaria Inſtituti ejus officia,ſæpiusque etiam ad ponenda *Collegiorum* initia adhibitus. Eundem anno MDLXXXIX. Dux *Bavariæ* GUILIELMUS cum *Simone* GRAULOCO *Ratisbona Ingolſtadium* evocavit, litteriſque & viatico inſtructum in *Bavariam inferiorem* miſit, ut per Quadrageſimam tum in urbe *Straubingana*, tum in ora finitima animarum quæſtum colligeret; quod & præclare præſtitit. Anno MDXCI. rurſus a GUILIELMO V. *Oettingam veterem*, thaumaturga B. Virginis imagine percelebrem, atque ob id magno Peregrinantium concurſu frequentari ſolitam, una cum *Michaele* MARCO proficiſci juſſus, ut parochum in ſacris functionibus peragendis adjuvaret, primus die *S. Catharinæ* virgini & martyri ſacra templi collegiati cathedram conſcendit, quæ ex illo tempore *Societati* tradita eſt. Dixit autem *Noſter* variis e ſuggeſtibus annos duodetriginta continuos, omnium generum ordinumque approbatione ſingulari, etiam Principum, quibus datus erat & ipſis Concionator. A ſacris laboribus non niſi lethifero demum hydrope abſtineri potuit, quo morbo, Septuagenario jam major, ex-

I 2 tin-

(*b*) In *Peutingerianis* ſuis, Libello adhucdum anecdoto.

tinctus eſt anno reparatæ ſalutis MDCXXIV. *Monachii*, urbe Bavariæ principe. (*c*)

Secundus eſt *Chriſtophorus* PEUTINGER, cujus extant *Theoremata* juridica. Titulus eorum hic eſt : *Theoremata Chriſtophori* PEUTINGERI *Germani ex variis locis utriusque Juris deprompta. Ad Sereniſſ. & Reverendiſſ. Principem ac Dominum Philippum Epiſcopum Ratiſponenſem, Ducem Bavariæ.* 4°. *Patavii.* 1590. In Dedicatione *Noſter* inter alia ſequentibus ſeſe exprimit verbis : *Sacras Imperatorum imagines Romani publicæ ſecuritatis cauſa præ ſe ferebant : regios tuos & illuſtres titulos Theſibus meis præfigo, ut, cum ſine præſide in certamen deſcendam, ampliſſimi præſidii loco mihi ſit auguſtiſſimum tuum ac fœliciſſimum nomen.* Theſibus hiſce, quas triduanæ Diſputationi ſubjecit *Noſter*, ſubjungitur *Panegiris Nicolai* GABELMANNI *Germani ad vere nobilem & clariſſimum J. C. D. Chriſtophorum* PEUTINGERUM *Patrit. Auguſtanum : cum publice Patavii magna omnium celebratione diſputaret.* 4°. *Patavii* 1590. ex qua ipſa patet, *Noſtrum* in addiſcenda legali ſcientia *Guidonis* PANCIROLI maxime inſtitutione uſum eſſe.

Nil dubito, quin hic *Chriſtophorus* idem ſit cum *Chriſtophoro* PEUTINGERO, *Claudii Narciſſi* Filio, quem *Juris utriusque Doctorem* anno MDCI. *Patavii* creatum eſſe novi (*d*). Juvat afferre in medium,

(*c*) Ita habet fere verbatim *Hiſtoria Societatis Jeſu Germaniæ ſuperioris, P. I. p.* 333. *P. II. p.* 27. *P. IV. p.* 348.349.

(*d*) Vidi in Bibliotheca Collegii quondam *Societatis Jeſu* a Noſtro *Patavii* acceptum *Doctoratus in utroque Jure* Diploma, in charta pergamena nitidiſſime ſcriptum, ſequentis tenoris :

„ Univerſis & Singulis præſens hoc publicum Doctoratus
„ Privilegium viſuris, lecturis, vel legi audituris. *Camillus*

um, quæ de Noſtro P. *Corbinianus* KHAMM

I 3 (*e*) me-

„ *millus Peltrari* Patavinus, J. V. Doctor, Prior Eccleſiæ „ *S. Leonardi* & in Epiſcopatu Paduæ Illmi ac RRmi DD. „ *Marci Cornelii* Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi „ *Patavini*, Comitisque *Saccenſis*, ac celeberrimi Gym- „ naſii *Patavini* Apoſtolici Cancellarii digniſſimi, Vicarius „ Generalis ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. „ Glorioſa ſcientiarum & bonarum artium mater *Padua*, „ cujus in tota Italia veneranda clariſſimorum Doctorum „ auctoritas & virtus ſumma omnium admiratione eluceſcit, „ eos duntaxat ad ſummum *Doctoratus* gradum extolle- „ re conſuevit, quos meritorum copia, una cum certami- „ ne rigoroſi Examinis, laurea doctorali condignos exhi- „ buerit..... Significamus itaque vobis, & harum ſe- „ rie fidem facimus, qualiter die infraſcripta datarum præ- „ ſentium Nos, Vicarius antedictus .... per Venerandum „ Collegium Excmorum J. V. Doctorum... Nob. & ad- „ modum Reverendum D. *Chriſtophorum* PEUTTINGERUM, „ *Auguſta* oriundum, Germanum, *Sermo Maximiliano Ba-* „ *variæ Duci a Conſiliis*, & *Canonicum Straubingenſem*, Nob. „ & Magnifici Viri D. *Claudii Narciſſi* filium (qui poſt lon- „ ga ſtudia & vigilias, variaque ejus probitatis & eru- „ ditionis documenta Fidem Catholicam ... palam & ſo- „ lenniter coram nobis profeſſus fuit) a Promotoribus ſu- „ is adductum & Nobis oblatum ad ſubeundum ſuum ri- „ goroſum Examen, punctisque ei in utroque Jure he- „ ſterna die (ut moris eſt) aſſignatis, diligenter & acriter „ examinandum & excutiendum curavimus. Qui locis per- „ ſequendis, argumentis tractandis, quæſtionibus clare „ ſolvendis, in omni denique ſui periclitatione tam egre- „ gie, prudenter, docte, honorifice, laudabiliter, ex- „ cellenter, & doctoreo more ſe geſſit: talem ac tantam „ ingenii, memoriæ, doctrinæ, ceterarumque rerum, quæ „ in conſummatiſſimo Juris utriusque Doctore deſiderari „ ſolent, vim oſtendit, ut magnam ſui exſpectationem, „ quam apud omnes concitaverat, non ſolum ſuſtinuerit, „ ſed etiam longe ſuperarit. Et ob eam rem ab omnibus „ excellentiſſimis dicti ſacri Collegii Doctoribus, ibidem „ continuo exiſtentibus, *unanimiter & concorditer*, *cun-* „ *ctisque ſuffragiis*, *ac eorum nemine penitus diſcrepante*

„ aut

(*e*)memorat his verbis: „*Chriſtophorus a* PEUTINGEN
„ Patritius *Auguſtanus*, *Straubingæ* Præpoſitus an-
„ no 1608. Sereniſſ. Electoris Bavarici MAXIMI-
„ LIANI Conſiliarius, virtutum cultor usquequa-
„ que ſtudioſiſſimus, divini atque humani Juris
„ peritia clariſſimus, ob eamque doctrinam &
„ virtutem expertam, cum ſumma humanitate mo-
„ rumque ſuavitate conjunctam, maximæ auctori-
„ tatis apud omnes habitus; cumque publico bo-
„ no & privatorum hominum commodo laborioſe
„ ſtuduiſſet, vita exceſſit *Straubingæ*, in collegia-
„ ta & parochiali Eccleſia ad *SS. Jacobum & Ti-*
„ *burtium* inhumatus. "

Tertius ſequitur alius *Chriſtophorus* PEUTINGER, *Conrado* PEUTINGERO Duumviro Reipublicæ *Auguſta-*

„ *aut diſſentiente, nec hæſitante quidem* idoneus & ſuffici-
„ entiſſimus *in utroque Jure* fuerit judicatus; ſicut ex eo-
„ rum votis ſecreto in ſcrutinio Nobis in ſcriptis porre-
„ ctis evidenter conſtitit. Nos itaque antiquam ſequen-
„ tes conſuetudinem, & Privilegiorum ſententiam *Pata-*
„ *vini* Gymnaſii . . . . pro tribunali ſedentes, eundem
„ A. R. D. *Chriſtophorum* PEUTTINGERUM . . . . approba-
„ vimus & approbatum eſſe volumus . . . . Quibus ſic ge-
„ ſtis ac declarati- ut ſupra, Clmus & Excmus JCtus D. *Se-*
„ *baſtianus Mo..iculus*, *Vicentinus* in Academia *Patavina*
„ veſpertinæ lectionis Juris canonici primarius Inter-
„ pres. . . . memoratum Adm. Reverend. & Excellentiſ-
„ ſimum D. *Chriſtophorum* PEUTTINGERUM . . . . conſue-
„ tis inſignibus & ornamentis doctoralibus ibidem decora-
„ vit ſolenniter & inſignivit. . . . Actum & datum *Paduæ*
„ in epiſcopali Palatio . . . . Anno a Chriſti Nativitate
„ M. DC. I. Indictione XIV. Die Lunæ, primo Menſis
„ Octobris . . . . præſentibus ibidem Magnificis & Nobi-
„ libus Viris DD. *Joanne Gregorio Haidenbucher* a *Kauff-*
„ *ringen* Bavaro, *Joanne Georgio Renner* ab *Almandin-*
„ *gen* Suevo, & *Alberto Menzelio* Bavaro, aliisque quam
„ plurimis Magnificis ac Nobilibus diverſarum nationum
„ Viris, Teſtibus - - - - - - -

(*e*) In *Hierarchia Auguſtana*, *Part. II. collegial. p.* 318.

guſtanæ, & *Maria* REHMBOLDIA circa initia ſæculi XVII. progenitus; per Reſignationem Eminentiſſ. Cardinalis *Melchioris* KLESELII *Præpoſitus S. Mauritii Auguſtæ* anno 1628. die 13. Novembris; *Ameriæ*, *Noceræ*, *Ravennæ* & in aliis pontificiæ ditionis civitatibus *Gubernator*; pro ſacra Cæſarea Majeſtate & inclyta Natione *Germanica* ſacræ *Rotæ Romanæ Auditor* & *Prælatus*; abſolutæ Jurisprudentiæ raritate inter ævi ſui Jureconſultos excellens; litterarum & cauſſarum Patronus incomparabilis; non ſolum a ſummis Pontificibus, Cardinalibus, & nationalibus, ſed etiam ab exteris & minus etiam notis impenſe amatus; *Petri* OTTOBONI, in *Rota Romana* quondam ſui Collegæ, dein ſummi Pontificis, amicus intimus; cathedralium Eccleſiarum *Conſtantienſis*, *Tridentinæ*, & *Cameracenſis* Canonicus; præter Præpoſituram *S. Mauritii Auguſtæ*, etiam Eccleſiarum collegiatarum *S. Stephani Conſtantiæ*, *S. Andreæ Coloniæ*, *S. Victoris Moguntiæ*, aliaque Beneficia (aliquibus reſignatis) eccleſiaſtica adeptus. Poſtquam in abſentia Legati Cæſarei apud *Urbanum* VIII. *Romæ* negotia Imperatoris geſſit, *Deciſiones rotulares*, poſtea prælo etiam ſubmiſſas, conſcripſit; *Auditoratus* cauſſas annis 18. prudentiſſime tractavit; *Romæ* graſſantem peſtem fugiens *Ameriam* ſe contulit, attamen mortem effugere haud potuit; quippe ibi aliquamdiu commoratus in lectum, a lecto in lethum incidit. (*f*) Annus, quo *Noſter* fatis conceſſit, in incerto eſt, P. *Corbiniano* KHAMM, ex quo ſuperius dicta verbotenus deſumpſi, ſibimet contradicente; nam *Parte II. collegiali* ſuæ *Hierarchiæ Auguſtanæ*, *pag.* 321. *Noſtrum* anno mundi 1656.

I 4 14.

(*f*) Vide KHAMMII *Hierarch. Auguſtanam*, *Parte II. collegial. p.* 321.

14. Decembris, vitæ vero 56. obiiſſe affirmat: ejuſdem autem *Partis pag.* 60. eum jam anno 1644. mortem oppetiviſſe innuit, dum hoc anno in *Præpoſitura S. Mauritii Noſtro Sixtum* FISCHERUM ſucceſſiſſe dicit; niſi dicere malis, Noſtrum abdicata hoc anno *Præpoſiti* dignitate locum FISCHERO ceſſiſſe. Certiſſime vero errat Perilluſtris Vir *Paulus a* STETTEN *ſenior* (*g*), dum FISCHERUM munus *Præpoſiti S. Mauritii* ex morte *Chriſtophori* vacans cepiſſe ait, allegans *P.* KHAMMIUM in *Hierarch. Auguſt. l. c. p.* 60. nam ibi KHAMMIUS unice aſſerit, FISCHERUM *Noſtro* anno 1644. ſuffectum eſſe; quin addat: mortuone, an reſignanti? Ceterum, quod ſuperius dictum eſt, ſuperant a *Noſtro* legalis Scientiæ, qua apprime claruit, documentum egregium: *Deciſiones S. Rotæ Romanæ. fol. Romæ.* 1673. Opus poſthumum foliorum 240. (*h*)

Quartus mihi debita laude celebrandus venit *Marcus* PEUTINGER, a quo ſequens Opus inter alia *Bibliothecæ Peutingerianæ* Manuſcripta vidi: Διαφορὰι τῆσ καινῆσ, *ſeu Differentiæ Teſtamenti novi, quæ repperire eſt, collato Textu græco cum latino vulgari, diviſæ in* Εναντιολογίασ, *ſeu directas ſenſuum inter ſe repugnantias; in* Εξαλλάγματα, *cum ſenſus liquido diverſi ſaltem aut ſeparati ſunt; in* Παραλλάγματα, *ubi verborum ſignificationes minus exacte ſibi invicem reſpondent; in* Πλεονεκτήματα, *in quibus Textus græcus uberior; in* Ελαττώματα, *quatenus idem latino contractior: in quo Opere præter Obſervationes philologicas græcas, & latinas loci*

(g) In Libro: *Geſchichte der H. R. Reichsſtadt Augspurg, Tom. II. pag.* 1194.

(*h*) Vide *Theoph.* GEORGI *europäiſches Bücher - Lexicon.* fol.

ei multi, quorum ſenſus genuinus Interpretes cum veteres tum recentiores fugiſſe oſtenditur, ſtudio ſingulari enodati, declarati, ac ſinceritati ſuæ reſtituti videntur. Auctore Marco de PEUTING. Plura de *Noſtro* certioraque invenire hactenus haud potui.

Quinto loco memorare decet *Chriſtophorum* PEUTINGERUM, cujus memoriam nobis ſervavit *Joh. Jac.* MANGETUS (*i*) his verbis: PEUTINGERUS (*Chriſtophorus*) *Auguſtanus. De eo habetur* Practica medica. *Extat cum Georg. Hieron.* VELSCHII *exoticarum Curationum & Obſervationum medicinalium Chiliad.* Ulmæ 1676. 4°. *apud Chriſtian. Balthaſ. Kuenium;* in quo ipſo Libro *Noſter* diſerte *Patritius Auguſtanus* vocatur.

Hæc ſunt, quæ de doctis PEUTINGERIS dicere habui; Quamquam enim ſciam, complures in hac familia extitiſſe Viros, qui tum doctrina excelluerint ipſi, tum alios doctrina excellentes omnibus modis foverint atque adjuvarint; tamen præter laudatos nullum hucusque invenire potui, qui edito aliquo Scripto nomen ſuum poſteris commendabile fecit, niſi forſitan *Claudium Pium* PEUTINGERUM, *Conradi* & *Margaritæ Velſeriæ* filium (*k*) adjungere libeat, quem ſequentis Libri manuſcripti auctorem fuiſſe Perilluſtris *Paulus a* STETTEN ſenior (*l*) ſupponit potius, quam affirmat: *Vorbereitung E. E. Raths der Stadt Augſpurg wider die nichtig- auch ungegründet- und grobe Anklag des Georg* OESTERREICHERS, *Anno* 1555. Verum, cum

I 5 iſte

(*i*) In *Bibliotheca Scriptorum Medicorum, fol. Tom. III. p.* 494.

(*k*) Vide *Hiſtoriam Vitæ & Meritorum Conr.* PEUTINGERI, 8. *Auguſtæ*, 1783. *p.* 24. 26.

(*l*) *Geſchichte der H.R. Reichsſtadt Augſpurg.* 4°. *Tom. I. kurze Nachricht von den Scriptoribus Rerum Auguſtan. I.* 18. Item *Tom. I. p.* 512. 513.

iſte *Claudius Pius* jam anno 1551. mortalitatem expleverit *(m)*, permagno ſemper dubio obnoxium manet, quis verus hujus *Apologiæ* auctor fuerit.

PEUTINGERIS ſuccedant PEUTINGERÆ, quarum etſi nullum ingenii fætum detegere hactenus potuerim, tamen hoc loco meminiſſe debeo; quod earum honorificam mentionem omnes fecerint, quotquot de doctis fœminis commentati ſunt. Hinc meritiſſimo jure earum memoria laudesque nuperrime in Libro: *Schwäbiſches Magazin*, 1780. *p.* 739. novo rurſus præconio celebratæ ſunt. Inter alios *Jo. Caſp.* EBERTI *(n)* PEUTINGERAS his verbis collaudat: *Des berühmten* PEUTINGERI *Töchter werden wegen ihrer Gelehrſamkeit und andern herrlichen Tugenden von* MUSLERO *(in Orat. p.* 156.) *gerühmt &c.* Nominatim prædicare convenit *Julianam* & *Conſtantiam* PEUTINGERAS, inclyti illius *Conradi* & *Margaritæ Velſeriæ*, filias: quarum prior, annos ſolum quatuor nata, MAXIMILIANUM Cæſarem urbem *Auguſtam* anno 1504. ingreſſum *latina adclamatione* excepit *(o)*: poſterior autem a *Jacobo* SPIEGELIO inſigne eruditionis teſtimonium tulit *(p)*. Quod ad *Julianam* attinet, fuſius de illa actum fuit in *Hiſtoria Vitæ atque Meritorum Conradi* PEUTINGERI *JCti Auguſtani.* 8. *p.* 24. quam tibi conſulere placeat, benevole Lector! De *Conſtantia* autem juvabit laudati *Jac.*

(*m*) V. *Hiſtoriam Vitæ & Merit. Conr.* PEUTINGERI, 8. *pag.* 28.

(*n*) In Libro: *Cabinet des gelehrten Frauenzimmers*, *p.* 279.

(*o*) Vid. *Hiſtor. Vitæ & Merit. Conr.* PEUTINGERI. 8. *p.* 24.

(*p*) Vid. *Juſt.* REUBERI *Script. Rer. Germanic. a Georg. Chriſt.* JOANNIS *editos*, *p.* 1185. *col.* 2.

Jac. SPIEGELII verba in medium afferre (*q*): „Non „ hic ſexus (*fœmineus*) a natura tarditatis aut he„ betudinis damnatus fuit: Vetuſta enim ſæcula „ *Muſas*, *Sibyllas*, *Pythias* habuerunt: Socra„ tici *Diotimam* ſuam atque *Aſpaſiam* celebrarunt: „ Pythagoræi philoſophantes fæminas mirantur: „ Græca poëtrias illas jactarunt monimenta, *Tele„ ſillam*, *Corinnam*, *Sappho*, *Aniten*, *Erinnam*, „ *Praxillam*, *Cleobulinam*... Romani *Lælii* & *Hor„ tenſii* filias... proferre poſſunt: Majores noſtri „ *Roſvidam*, ut noſtrum ſæculum *Catharinam Byr„ ckemeram* & *Conſtantiam* PEUTINGERAM: Veneti „ *Caſſandram* ſuam, *Politianico* præconio nobilem, „ venerandæ opponere vetuſtati promptum ha„ bent." Vides, Lector! ut *Jac.* SPIEGELIUS inter eruditiſſimas ac celebratiſſimas tum veteris tum recentioris ævi fæminas locum *Conſtantiæ* noſtræ aſſignet idoneus certe judex, omnique fide digniſſimus; tum quod temporum illorum, quibus *Conſtantia* vixit, æqualis fuerit; tum quod ipſe mira eruditionis laude claruerit. Hinc impetrare a me nequaquam poſſum, ut ſententiæ Perilluſtris *Pauli a* STETTEN *junioris* (*r*) adſtipuler, omnem PEUTINGERARUM eruditionem in ſolius latini ſermonis cognitione conſtituentis.

(*q*) Vid. *Juſt.* REUBERI *Script. &c.*
(*r*) In Libro: *Lebens - Beſchreibungen zur Erweckung &c. bürgerlicher Tugend*, *Tom. I. pag.* 138. 139.

PINICIANUS (*Joannes*)

Joannes PINICIANUS, non *Primicianus*, uti mendoſe habet *Achill. Pirmin.* GASSARUS (*a*), aliter *Joan-*

(*a*) V. *Jo. Burc.* MENCKENII *Scriptores Rer. German. Tom. I. p.* 1782.

Joannes KENING PINICIANUS (*b*) dictus, primam lucem aſpexit circa annum 1478. uti ex *ejusdem* epitaphio inferius apponendo conſtat. Is num *Auguſtam* patriam habuerit, mihi haud ſatis liquet: *Civem Auguſtenſem* laudatus GASSARUS facit (*c*) & Liber: *Complurium eruditorum Vatum Carmina ad Blaſ.* HOELCELIUM. 4°. *Aug. Vind.* 1518. in Elencho prævio nomen *Noſtri* ſic exprimit: *Jo.* PINICIANI *Aug. Maximil. Cæſ. a Sacris*; quod ipſum ſi legendum contendas: *Jo.* PINICIANI *Auguſtani* &c. & non potius: *Jo.* PINICIANI *Auguſto Maximiliano Cæſ.* &c. de patria *Noſtri* plane decidiſti; nec habeo poſthæc, quæ oggeram. Certiora ſunt, quæ ſequuntur.

Laurea poëtica inſignitum ſeſe prodit *Noſter* plurimis in locis; idemque GASSARUS, Perilluſtr. *a* STETTEN *ſenior*, aliique confirmant (*d*). *Presbyteri* quoque dignitate conſpicuum fuiſſe *Noſtrum* tum *Joannes* BOESCHENSTAIN *Eſlingenſis*, illorum temporum æqualis (*e*), teſtatur, tum ſuperius allata evincunt, quæ *Noſtrum* Imperatori *Maximiliano I.* fuiſſe *a Sacris* confirmant. An vero ſacerdotii ſui honorem vita inculpata & moribus dignis minus ſit tuitus, prout alicubi inveniſſe ſe innuit Perilluſtris *Paulus a* STETTEN *junior* (*f*), id quidem in medio relinquo.

Præ-

(*b*) V. *Pauli a* STETTEN *Erläuterung der Vorſtellungen aus der Geſchichte von Augſpurg.* 4°. *p.* 95. & *Dan.* PRASCHII *Epitaph. Auguſtana, Tom. I. p.* 198.

(*c*) V. *Jo. Burc.* MENCKENIUM *l. c.*

(*d*) Vide *eundem*, & *Pauli a* STETTEN *ſenioris Geſchichte der H. R. Reichsſtadt Augſpurg. Tom. I. p.* 310.

(*e*) In *Epiſtola dedicatoria* ad *Elementale introductorium in hebræas litteras. Auguſtæ.* 1514. excuſum.

(*f*) V. *Pauli a* STETTEN *junioris Erläuterung der Vorſtellungen &c. p.* 95.

Præter linguam *latinam*, cujus callentiſſimus fuit, & ſors etiam *græcam*, valde *hebraicam* adamaſſe *Noſtrum*, indubio id eſt documento, quod hujus linguæ elementa ſibi a *Joanne* BOESCHENSTAINIO, ſuperius memorato, tradi curavit (*g*). Quantum autem poëſi & carminibus pangendis valuerit, etſi *laurea*, quam adeptus eſt, *corona* abeſſet, carmina *Noſtri* adhucdum extantia loquuntur, mire fluida, terſa, ingenioſa.

Maximam vero curam, viresque ſuas cunctas, &, quod in hoc mundo vixit, tempus omne *Noſter* juventuti liberalibus artibus inſtituendæ potiſſimum conſecravit; ad cujus maxime utilitatem ac profectum in iis, quæ edidit, *Operibus* reſpexiſſe videtur, non tam famæ captandæ ſtudioſus, quam ut *prodeſſet multis*, *præcipue teneræ docilique ætati* (*h*). Incidit is autem in illud tempus, quo *Auguſtæ* ſequior ſcholarum conſtitutio Muſarum candidatis multum in litteris proficiendi optatam facultatem ademerat (*i*): quo (ut ipſis *Ach. Pirminii* GASSARI (*k*) verbis, etſi nonnihil exaggerationis habentibus, utar) *per urbem Augſtburgenſem latinæ ſcholæ tantum apud cathedralem Eccleſiam, Moritianum Collegium*, & *ad SS. Ulrichi*, *Crucis*, *Georgiique cœnobia extiterunt; ex quibus tamen vix pauci ad alium*, *quam ad miſſarii ſacerdotii gradum emerſerunt.* Ea re factum eſt, ut lautioris fortunæ

(g) V. *Epiſtolam dedicatoriam* ad *Elementale introductorium* &c. ſupra memoratum.

(*h*) Ipſe PINICIANUS de ſe, in *Epiſtola* prævia ad *Latiniſſimas Colloquiorum Formulas ex* TERENTII *Comoediis* &c. 4o. *Auguſtæ*. 1532. impreſſas.

(*i*) V. *Pauli a* STETTEN *ſenioris Geſchichte von Augſpurg. l. c.*

(*k*) V. *Jo. Burc.* MENCKENIUM *l. c. p.* 1781. 1782.

næ cives privatos præceptores conducerent, a quibus liberi optimarum artium elementis imbuerentur: atque hos inter *Jo.* PINICIANUS noſter extitit, *qui de multis per multos annos optime meritus eſt.*

Auguſtæ docendi muneri initia fecit *Noſter* circiter anno 1512. uti ipſe in *Dedicatione* Libri: *Leben des ſtreytbarſten Fürſten und Herrn Georg Caſtrioten, genannt Scanderbeg.* 4°., data ad Senatum *Auguſtanum*, 1533. 18. Januarii, his verbis planum facit: „ Solche Hiſtorien hab ich ... aus „ dem Latein verteutſcht und E. E. W. als mei„ nen günſtigen Herrn dediciern furgenommen, „ damit ich meinen geneigten Willen und Fleiſs „ nicht allein in dem, *daſs ich ob zwenzig Jahren* „ *in diſer Stadt die Knaben mit ungeſparter Mühe* „ *inſtituirt und lateiniſche Sprach gelehrt*, „ ſonder auch in diſer meiner Arbeit erzeu„ get ... " Ante vero, quam *Auguſtam* venerat *Noſter*, eodem juventutis latinis litteris erudiendæ officio ſtrenue *Oeniponte*, urbe *Tyrolis* minime ignobili, functus, ſimulque ab æmulis & invidioſis infamia aſperſus graviterque exagitatus eſſe videtur. Certe ex ea civitate *Inſtitutiones grammaticas* imprimendas ad *Sylvanum Otmarum* calcographum Auguſtanum (*l*) transmiſit.

De reliquo, dum *Noſter* ſpartam, quam ſibi ſumpſerat, indefeſſa diligentia, jugique ſollertia ornat, laboribus publico maxime bono ſusceptis immoritur anno Chriſti 1542. Vir, teſte *Joann.* DIETHERO (*m*) *multijugæ doctrinæ & infinitæ propemodum*

(*l*) Vide meam *Diatriben de Orig. & Increment. Typograph. Auguſt. p.* LI. Præmittitur hæc *Diatribe*, editis a *G. G.* ZAPF *Annalibus Typographiæ Auguſtanæ.*

(*m*) Vide *Joann.* DIETHERI, de quo ſuperius ſuo loco dixi, Dedicationem ad *Hiſtoriam ſacram*: JOSEPH.

modum lectionis, amantiſſimus Doctorum, amatus Doctis, ut inferius patebit. Tumulum nactus eſt in cœmeterio *S. Stephani* Auguſtæ, hoc addito epitaphio (*n*).

DEO. OPT. MAX. SACR
IOANNES. KENING. PINICIANVS
LITERATVRAE. POLITIORIS
ET
DISCIPLINAE. PVERILIS
INSTITVTOR. DILIGENTISSIMVS
VIXIT. ANNOS. LXIV.
OBIIT. NON. FEBR. SAL. AN. MDXLII.
HIC. CONDITVS. IACET

Libri, a *Noſtro* editi, ſunt:

I. *Virtus & Voluptas. Carmen de Origine Ducum Auſtriæ. Aegloga:* Coridon & Philetus, ruſtici. 4°. *Auguſtæ.* 1512.

Præmittuntur Carmina *Othmari* TREPOTIS, *F.* PHILETI, & *Magni* HALDENBERGER *Landſpergii*, in laudem tum libelli, tum *Noſtri*. Succedit *Joannis* noſtri *Dicolon diſtriphon*, datum *Auguſtæ* pridie Kal. Januar. Anno 1510. quo *Conrad.* PEUTINGERUM in libelli patronum legit. Sequitur tum *Dialogus*, in qua *Virtus*, *Voluptas* & *Carolus* inter ſe colloquentes inducuntur. In *Aegloga* ſub nomine *Coridonis* haud dubie ſiniſtra, quæ *Oenisponte* agente æmulorum invidia expertus eſt, fata deſcribit.

II. *Promptuarium Vocabulorum ædium partium, locorum, artificum, inſtrumentorum, multarum quoque rerum nomina continens, per librorum capita breviter & concinne diſtributum.* 4°. *Aug. Vindel.* 1516. iterum 1524. Hunc

(*n*) V. *Daniel.* PRASCHII *Epitaph. Auguſt. Tom. I. p.* 198. *Tom. II. p.* 22.

Hunc quoque Librum *Conrado* PEUTINGERO ſacravit *Noſter* ſequenti epiſtola :

„ *Chonrado* PEUTINGER Jureconſulto, Dom. ac
„ Patr. ſuo *Joannes* PINICIANUS S. D.

„ Quoties tuorum erga me benefactorum magnitu-
„ dinem ipſe mecum repeto , præſtantiſſime Vir !
„ novus ſemper in me ardor & ingens ad amandum
„ te deſiderium concitatur , fitque , ut me tibi to-
„ tum . . . committam , omnemque litterarii labo-
„ ris fructum . . . tibi patrono meo offeram. . . Cum
„ igitur ſuperioribus annis inter mutua noſtra collo-
„ quia de *Marii* GRABALDI , viri doctiſſimi lepidiſ-
„ ſimique *Dictionario*, qui *de partibus ædium* inſcri-
„ bitur , ſermo fieret , optimum factu arbitratus es,
„ ut idem libellus . . . in linguam noſtram vulga-
„ rem verteretur. . . Monuiſti , ut, quum tibi pro-
„ pter maxima & quotidiana , publica & privata ,
„ negotia id facere non eſſet commodum , provin-
„ ciam eam ſubire vellem. Aſſenſi non invitus ju-
„ ſtæ & multis profuturæ petitioni tuæ, eumque
„ GRABALDI libellum , ut potui , breviter ſecun-
„ dum noſtram *auguſtenſem* linguam vulgarem in-
„ terpretatus ſum : & ut major aſſurgeret libel-
„ lus , . . . de variis artificum inſtrumentis & alio-
„ rum, quæ in communi & quotidiano uſu ver-
„ ſantur, adjunxi. . . Vale litterarum & patriæ de-
„ cus, Doctor clariſſime ! meque , ut ſoles , ama.
„ Ex ædibus noſtris, *Auguſtæ*. 12. Kal. Octobr. 1515.

Ceterum ex hoc *Noſtri* Opere enatum aliud, quod anno 1532. *Auguſtæ* in 4°. prodiit ſub titulo : *Ex Promptuario Vocabulorum Jo.* PINICIANI *variarum rerum Vocabula ;* quod an *Noſtri* ſit, eſt , cur ambigam.

III. *Brevis Inſtitutio de octo Partibus orationis , cum vulgari interpretatione verborum. Ad recte bene-*

que

que vivendum præcepta. Quotidiani colloquii Sylva. Tabula puerorum. Dialogi duo. 4°. *Auguſtæ*. 1522.

Eſt hæc Editio nequaquam prima; uti docet Epiſtola *Noſtri* ad *Sylvanum Otmarum* typographum Auguſtenſem, cujus plurimum prælo ſua *Joannes* noſter committere ſolitus fuit, data *Auguſtæ*. VIII. Idus Junii. 1518. ſic ſonans:

„ Petis, ut quas *olim* ex *Oenipontе grammaticas* „ *Inſtitutiones* imprimendas dederam, *iterum* tibi „ impertiam... Ego igitur,qui ſcholaſticæ juventu„ ti *annis multis*, & *docendo* & *ſcribendo*, nunquam „ defui, libenter... id laboris ſuſcipio, emenda„ tumque & pœne ex integro confectum prælo tuo „ litterario committo. "

IV. *Das* Vatter unſer, *getailt in ſiben Tail nach den ſiben Tagen der Wochen, durch Eraſmum von Rotterdam beſchriben A°.* 1523. In fine legitur: „ Hie hat ein End das *Vatter unſer*, durch Herrn „ *Eraſmum von Rotterdam* von erſten in latein, und „ bald darnach durch *Joannem* PINICIANN auf Be„ gern der erbern und tugendreichen Frawen *Mar*„ *gareten* PEUTINGERIN (*o*) in teutſch gemacht. „ Durch *Silvanum Otmar* getruckt im 1524. Jah„ re. " in 8°.

V. *Latiniſſimæ Colloquiorum Formulæ ex* TERENTII *Comœdiis ſelectæ, ab Cor.* GRAPHÆO, *in Germanicam linguam verſæ.* 4°. *Auguſtæ*. 1532.

Præcedit Epiſtola *Gerhardi* GELDENHAURII (*p*) *Noviomagi* ad *Noſtrum*, data *Auguſtæ*, Calend. Maji.

(*o*) Eſt hæc *Margarita* VELSERIA, uxor digniſſima ac doctiſſima doctiſſimi *Conradi* PEUTINGERI *JC.* de qua conſulere poteris *Hiſtoriam Vitæ ac Meritorum C.* PEUTINGERI a me 1783. editam, *p.* 23. 109. 110. 111.

(*p*) Cum circa 1530. Senatus *Auguſtanus* ſcholam pu-

Maji. 1532. qua eundem ad *Formularum* harum germanicam verſionem accurandam hortatur. Hanc excipit reſponſoria *Noſtri*, 13. Cal. Junii, 1532. his verbis conſcripta: „ Quod me hortaris, „ ut loquendi formulas, quas doctiſſimus ille GRA- „ PHÆUS ... congeſſit, in noſtram linguam alle- „ manicam vertam ... equum, ut ajunt, in pla- „ niciem provocas. Ego enim, ut ſemper con- „ ſuevi, libenter hujusmodi provinciam ſubire ſo- „ leo, quæ incommodet nemini, proſit autem „ multis... Recte igitur & pie admonuiſti me, & „ ego haud gravate tibi morem geſſi... Tu quo- „ que, mi *Noviomage*! boni conſule, quidquid hoc „ eſt muneris noſtri, meque, quod facis, ama- „ re pergito... ".

VI. *Leben des ſtreytbarſten Fürſten und Herrn Georgen Caſtrioten genannt Scanderbeg*; *aus dem latein verteutſcht*. Hoc Opus dedicavit *Noſter* anno 1533. 18. Januar. Senatui *Auguſtano*. Iterato typo prodiit 1577. *Francofurti*. in fol.

VII. *Ex familiaribus Epiſtolis Ciceronis Clauſulæ & Sententiæ pro epiſtolis conficiendis &c.* 4°. *Aug. Vindel.* 1534.

Præfigitur ſequens epiſtola:

„ *Gerard.* GELDENHAURIUS *Noviomagus Joan-* „ *ni* PINICIANO ſuo S. P. D.

„ Nemo eſt, mi PINICIANE! inter eos, qui paululum ultra primas litteras progreſſi ſunt, qui „ duos eſſe optimos dicendi artifices, TERENTIUM „ & CICERONEM, negare poterit. *Illius loquendi* „ *formulas germanice a te pueris interpretatas non ſi-*

„ *ne*

blicam erexiſſet, primus *Gerhard.* GELDENHAURIUS eidem præeſſe juſſus eſt, de quo videri poterit *Phil. Jac.* CROPHII *Hiſtorie des Gymnaſii zu St. Anna in Augſpurg*, p. 9. 99. 105.

„ *ne magno fructu perlegi* lubens audio... Et cum „ nullis in libris, quam in *Epiſtolis familiaribus*, „ ſermone familiari ipſe CICERO utatur lubentius, „ rem feceris tam præceptoribus quam diſcipulis „ gratiſſimam, ſi ex his (*quod in Terentio factum* „ *eſt*) familiaris ſermonis formulas collectas addi- „ ta patria lingua in Studioſorum gratiam edide- „ ris... Datum Wormaciæ, 18. Jul. 1533. "

Excipit hanc ἀμοιβαίαν PINICIANI:

„ Viro integerrimo doctiſſimoque *Gerardo* GELDEN- „ HAURIO *Noviomago*, Amico unice dilecto S. P.

„ Meminiſti, ut arbitror, cum anno ſuperiori pro- „ vinciam mihi dares, GRAPHEI *Cornelii Clauſulas* „ *terentianas* in vernaculam linguam noſtram ver- „ tere... me de *Ciceronis familiarium Epiſtolarum* „ clauſulis & ſententiis mentionem feciſſe, quas „ ego quoque in animo haberem in germanam lin- „ guam traductas in publicum edere. Eras tum „ tu monitor & impulſor, ut id fieri curarem. Fe- „ ci itaque, quod juſſiſti... At me non latet, *Ger-* „ *arde* doctiſſime! pueriles has nugas dignas non „ eſſe, quæ tuo nomini dicentur. Verum quia tu „ ita jubes, & urges, ut edam... teipſum eis „ patronum elegi... Auguſtæ, VIII. Cal. Augu- „ ſti. 1533. "

VIII. Varia *Carmina* & *Epigrammata*, breviora, longiora, a *Noſtro* extant in variis Libris, illa ætate excuſis, eaque minime inſipida (*q*), quæ quisquis legerit, is PINICIANUM oppido dignum judicabit: qui & *laurea poetica* cingeretur, & inter ævi ſui celeberrimos poëtas MUTIOS, BONOMOS, VR-

(*q*) Carmina *Noſtri* exhibet Liber: *Complurium eruditorum Vatum Carmina ad Blaſ.* HOELCELIUM. 4°. 1518. *Auguſtæ.* item *Corb.* KHAMM *Hierarch. Auguſtana, P. II. collegiali*, *p.* 277.

SINOS, CELTES, GADIOS, CUSPINIANOS, BEBELIOS, CARDULOS, SBRULIOS, SPIEGELIOS &c. annumeraretur (*r*).

IX. *Epiſtolæ* aliquot *Noſtri* ineditæ ad *Vitum* BILDIUM Monachum *San-Udalricanum*, *Auguſtæ*, reperiuntur in *Volumine III.* ejusdem *Viti* BILDII, in Bibliotheca memorati monaſterii.

(*r*) Vide mox citatum Librum: *Complur. erudit. Vatum Carmina.* 4°.

REMBOLD (*Joann. Baptiſta*)

Patritius *Auguſtanus*, patrem habuit *Chriſtophorum* REMBOLD (*a*) & *Julianam* WELSERINAM, qui anno 1580. in matrimonium coiverant (*b*). Nullus dubito, quin hic ſit ille *Joannes Baptiſta* REMBOLD, quem ad annum 1598. inter *Inſcriptos Academiæ Ingolſtadienſis* annumerat *Jo. Nepom.* MEDERER (*c*). Fuit *Noſter Antonii* WELSERI ex ſupradicta *Juliana* ſorore nepos, & Avunculi ſui primum in Præpoſitura Eccleſiæ cathedralis *Friſingenſis* Coadjutor, deinde ejusdem Eccleſiæ cathedralis *Præpoſitus* anno 1618. conſtitutus; poſtquam prius, anno ſcilicet 1613. Præpoſituram ad *S. Andream Friſingæ*, anno vero 1616. 1. Junii, Præpoſituram ad *S. Mauritium Auguſtæ* obtinuiſſet. Ex-

(*a*) *Chriſtophorum* REMBOLDUM, haud dubie hunc ipſum, anno 1584. in Senatum urbis patriæ adlectum, tradit LANGENMANTELIUS *Hiſtorie des auſpurgiſchen Regiments.* Addit, eundem anno 1586. Senatu deceſſiſſe. Anno 1587. diem eum ſupremam obiiſſe, vult SCHELLENBERG *Hochzeit-Regiſter.*

(*b*) Ita teſtatur *Reginbald.* MOEHNERUS in *Stemmatographia MSSta Patrit. Auguſt.* fol. Conſentit SCHELLENBERG *Hochzeit-Regiſter.*

(*c*) In *Annalibus Ingolſtad. Academ. Tom. II. ad hunc annum.*

Extitit præterea SS. D. N. PAULI V. pro ſacra cæſarea Majeſtate & inclyta Natione germanica ſacræ *Romanæ Rotæ Auditor*, ac Prælatus, & utriusque Signaturæ Referendarius. Vivere deſiit anno ſalutis 1627. (*d*).

Conſcripſit *Deciſiones S. Rotæ*, quibus cum immortuus (ut credibile ſit) eſſet *Noſter*, obſtetriciam opem præſtitit *Joſephus* DOMITIUS (*e*). Certe hoc accurante prodiverunt foras

Joann. Baptiſtæ REMBOLD *Deciſiones S. Rotæ Romanæ*, *opera Joſephi* DOMITII *a civitate Montisalti J. V. D. Romæ.* 1676. in *Folio.*

(*d*) KHAMM *Hierarch. Auguſt. P. II. colleg. p.* 56. 319. Item *Paul. a* STETTEN *junior. Geſchichte der adelichen Geſchlechter zu Augſpurg.* 4°. *pag.* 239.

(*e*) De hoc Juriſconſulto videri poteſt *Chriſt. Gottl.* JOECHER *Gelehrten - Lexicon*, *Tom. II.*

REMUS (*Aegidius*)

Pauca ſunt, quæ de *Aegidio* nobis vel Synchronorum incuria, vel temporis ipſa edacitas reliquit. Natus eſt *Noſter* gente patritia, *Auguſtæ*, anno 1499. ſi modo *Reginbaldo* MOEHNERO Monacho *San - Udalricano* (*a*) in eadem urbe, fides habenda eſt. Poſtquam adoleviſſet, in *Italiam*, celebratiſſimum eo tempore Muſarum ſacrarium, quo contendere ſolebant, quotquot animum optimarum artium diſciplinis excolere ſtuduerunt, profectus, in *Romano* Archi - gymnaſio ita ad ſcientias, legalem inprimis incubuit, ut ſummos *Doctoris* in utroque jure honores adeptus ſit. Habeo rei hujus teſtem *Jacobum* MAZOCHIUM, qui *Noſtro* AGATHYUM *de Bellis Gothorum*, a ſe typis excuſum, ſequenti Epiſtola dedicavit;

 „*Ja-*

(*a*) Vide Ejus *Stemmatographiam* MSStam *Patritiorum Auguſtanæ Urbis.*

„ *Jacobus* MAZOCHIUS, Romanæ Academiæ bi-
„ bliopola, *Aegidio* REM ex Auguſta Vindel. U. J.
„ Doctori, Canonico Eccleſiæ *Patavienſis* S. P. D. "

„, Cogitanti mihi ſæpius ac ſæpius de hominum, „ in qua vivimus, imbecillitate nihil in nobis præ- „ clarius, nihil divinius, quam ipſorum tempo- „ rum memoria, in mentem incidit... At cum ſu- „ per his animum verſarem, venit in manus me- „ as AGATHYUS, qui *de Bellis Gothorum* græce me- „ moriam reliquit, & quidem pereleganter a *Chri-* „ *ſtophoro* PERSONA *Romano*, doctiſſimo Viro, lati- „ nitatis fonti deditus: Ego vero, cum Reipublicæ „ litterariæ ſemper aliquo modo profuiſſe conarer, „ hunc noſtris typis excudendum,, *tibique dican-* „ *dum* duxi, ut Doctum *ad Doctum* ire non pude- „ ret. Tu vero, ut in hac noſtra florentiſſima *A-* „ *cademia Romana unus es*, *qui tot honoribus*, *tot* „ *ſtudiis præditus*, ita accipe, perlege, amplecte- „ re elegantiſſimum tuum AGATHYUM... Vale *Ro-* „ *mæ*, XV. Cal. Mart. 1516. "

Sic omnifariæ eruditionis ſubſidiis inſtructus & ſuprema juris laurea decoratus *Auguſtam* rediit *Noſter* anno 1518. id quod credibile faciunt verba *Conradi* PEUTINGERI, *Mich.* HUMMELBERGIO in quadam ſuarum *Epiſtolarum* (*b*) dicentis: „ *Egi-* „ *dius* noſter nondum venit; cum venerit, cujus „ reditum indies ſperamus, ſibi tuas humaniſſimas „ litteras perlegendas dabo.." Quo vero anno inter Canonicos Eccleſiæ *Patavienſis* adlectus fuerit *Noſter*, me penitus fugit. Illud liquido conſtat, eundem, *Bertholdo* PIRSTINGER Epiſcopo Chiemenſi ſupremis fatis functo, a canonicatu *Patavienſi* ad *ſedem epiſcopalem Chiemenſem* translatum fuiſſe (*c*).

(*b*) Vide *Hiſtoriam Vitæ & Merit. Conradi* PEUTINGERI. 8. *Auguſtæ* 1783. a me editam, *pag.* 187.

ſe (*c*). Quo anno epiſcopatum adierit: quamdiu tenuerit: quando diem ſupremum clauſerit, non convenit inter Auctores. *Joſephus* MEZGER (*d*) & *Corbinianus* KHAMM (*e*) *Noſtrum* anno 1520. epiſcopum inſtitutum fuiſſe; præfuiſſe epiſcopatui annos 16. mortem oppetiviſſe anno 1536. volunt. *Paulus a* STETTEN *ſenior* (*f*) *Noſtrum* anno 1535. deceſſiſſe tradit: *Paulus a* STETTEN *junior* (*g*) eundem anno 1526. epiſcopi dignitatem capeſſiviſſe ait: *Reginbaldus* MOEHNER autem eum anno 1526. epiſcopum factum, anno autem 1547. vivis ereptum eſſe contendit (*). Quis tantas componat contradictiones?

Fratrem habuit *Noſter*, cum aliis pluribus, quendam *Georgium* REMUM, cui, *Lugduni Galliarum* urbe præcoci morte ſublato, ſequens *Epitaphium* ſcripſit, quod nobis *Conradus* PEUTINGERUS in quodam ſuorum *Adverſariorum*, in quo varias *Inſcriptiones* ſollicite congeſſerat, ſervavit (*h*)

K 4 „D.O.M.

(*c*) V. *Joſ.* MEZGER *Hiſt. Salisburg. p.* 1147. KHAMM *Hierarch Auguſtan. P. II. colleg. p.* 297. *Paul. a* STETTEN *ſenior. Geſchichte der H. R. Reichsſtadt Augſpurg, Tom. I. p.*441. *Paul. a* STETTEN *junior. Geſchichte der adelichen Geſchlechter in Augſpurg, pag.* 160.

(*d*) V. *Hiſt. Salisburg. l. c.*

(*e*) V. *Hierarch. Auguſt. l. c.*

(*f*) V. *Geſchichte von Augſpurg. l. c.*

(*g*) V. *Geſchichte der adelichen Geſchlechter in Augſpurg. l. c.*

(*)V. *Stemmatographiam* ejus *MSStam.* Confer *Allgemeines Lexicon*, BASEL. *Tom. V.*

(*h*) Eſt hoc *Volumen* illud, quod in *Hiſtoria Vitæ & Merit. Conrad.* PEUTINGERI, *pag.* 113. *No. XXIV.* recenſui.

„ D. O. M.
„ *Georgio* REMO *Auguſtenſi* ex Vindelicis
„ Adoleſcenti omnibus ægregiis animi
„ corporisque dotibus prædito,
„ quem mors invida ſummæ ſuorum expectationi
„ eripuit.
„ Vixit Annos XX. Menſes III. Dies XXIII.
„ Deceſſit XVIII. Kal. Septembr. An. ſalutis MDXVII.
„ *Magdalena* mater, *Andreas Lucas Joannes*
„ & *Aegidius* REMI (*i*) Fratres Funeri mæſtiſſimo
„ ſuperſtites tumulum in externo ſolo
„ P. C.

Jam paucis exſequi juvat, quid in Re litteraria *Noſtrum* præſtitiſſe invenerim. Videns AGATHIAM *de Bellis Gothorum*, cujus ſupra mentio habita eſt, a *Chriſtophoro* PERSONA (k) male vulgatum, aliam ejus editionem accuravit, quæ *Auguſtæ* prodiit hoc titulo:

AGATHIAS *de Bello Gothorum ... per Chriſtophorum* PERSONA *Romanum e græco in latinum traductus.* 4°. *Aug. Vind. in Officina Sigismundi Grimm Medicinæ Doctoris atque Marci Wirſung. Anno MDXIX. die XX. Sept.*

Præcedit *Noſtri* Epiſtola in hæc verba:
„ *Aegidius* REM V. J. Doctor Canonicus *Patavienſ.*
„ Cl.

(*i*) Forſitan ex his confici poſſet, quis *Noſtro* genitor fuerit; ſi conferatur *Paulus a* STETTEN *junior*, in *Geſchichte der adelichen Geſchlechter in Augſpurg*, *pag.* 159.

(*k*) Doluit hoc ipſum *Bonaventura* VULCANIUS in Dedicatione ad AGATHIAM a ſe editum, his verbis: AGATHIAM ... *quem olim* PERSONA *ita lutularat ac deformarat, ut quicunque eum attingeret, merito exclamaret: aquam manibus.* Ceterum hæc Auguſtana AGATHIÆ editio VULCANIUM penitus latuiſſe videtur. De Editione *Romana* conſuli poterit Liber: *Merckwürdigkeiten der königl. Bibliothek in Dresden*, *Tom.* 3. *p.* 396.

„ Cl. Viro *Joanni* COLER *Patavienſis* & *Curienſis*
„ Eccleſ. Præpoſito S. P. D.
„ Efflagitaſti ſæpenumero, *Joannes*, Præpoſite or-
„ natiſſime! ut AGATHIUM *de Bello Gothorum &*
„ *aliis peregrinis hiſtoriis*, quem ope *Sigismundi*
„ SCHEUFLER (*l*) Canonici *Friſingenſis*, optimi
„ pariter & doctiſſimi Viri in hoc negotio mihi labo-
„ ris Collegæ, ſuffraganteque *vetuſto & mea ſenten-*
„ *tia emendato admodum Codice* quondam elimavi-
„ mus & *germanæ lectioni reſtituimus*, in publicum
„ edi procurem; quippe *exemplaria, quæ hactenus*
„ *extant, adeo eſſe mutila, & mendis undique lace-*
„ *ra, depravataque, ut nulli uſui eſſe queant.* . .
„ Satisfacturus itaque tuæ voluntati, eum, hiſce
„ ſuperioribus diebus reviſum denuo & recognitum,
„ calcographis excudendum dedi ſub tui nominis
„ tutela; cui hanc editionem nuncupatim dedi-
„ co... *Auguſtæ*, III. Id. Julii, Anno ſalutis.
„ 1519."

Hæc pauca de REMO ſufficiant, donec tempus plura doceat.

(*l*) Hic SCHEUFLERUS vulgatam a ſe Auguſtæ anno 1519. *P. Callimachi Geminianenſis Hiſtoriam de rege Uladislao, ſeu Clade Varnenſi.* 4°. *Aegidio* noſtro dedicavit, & ad eum, utpote *amicum eruditum & non vulgarem*, ut ait, *ſtrenarum nomine* miſit rogans, ut illam typis excudi curaret. In fine Epiſtolæ dedicatoriæ hos Verſus adjecit SCHEUFLERUS:

„ Accedit pretium gemmis, ſi, REME! ferantur
„ A magnis cultu nitidiore viris.
„ Quod dignus *docto* eſt, & quod tibi miſſus *amico*,
„ *Callimacho* meritus concilietur honos."

REMUS (*Georgius*)

Auguſtæ nobili patritioque ſtemmate (*a*) cretus

 Noſter,

(*a*) Ipſe de ſe ad *Dan.* PRASCHIUM: *Cum civis auguſtanus*

Noſter, anno reparatæ ſalutis MDLXI. 4. Januarii (*b*) primam lucem aſpexit. Patrem *Danielem*, matrem *Magdalenam Mörlerin* nactus eſt, fratrem itidem *Danielem*, ſororesque duas (*c*), *Juriſconſultus*, *Philologus*, *Hiſtoricus*, ac *Poëta* egregius (*d*) *latine* & *græce* eleganter doctus (*e*). In pueritia ad diſcendas liberales humanioresque artes admotus, *Hieronymo* WOLFIO magni nominis viro & in ſchola patria *San* - *Annæana Primario*, ut aiunt, operam dedit, habens ſtudiorum ſocium celeberrimum *Davidem* HOESCHELIUM. Præter WOLFIUM, *M. Joannis* FABRICII, qui per ea tempora *Norimbergæ* privatam ſcholam aperuerat, & ad quem complurium clarorum parentum liberi erudiendi mittebantur: itemque *Joannis* HEZERI, Diaconi ad *S. Claram* in eadem civitate, inſtitutionibus uſum ſeſe eſſe, ipſe initio unius ſuorum Librorum, duumviris his dedicati, teſtatum reliquit (*f*). Subin ad ſeveriores ſeſe conferens diſciplinas, luſtrata *Germania*, in *Gallias Italiam*que excurrens, ita optimis ſcientiis, legali præſertim, animum excoluit, ut ſummos in Jurisprudentiæ facultate *Doctoris*

ſtanus ſim, *meique Majores de patria meriti non*, *opinor*, *male*. V. *Dan.* PRASCHII *Epitaph. Auguſtana*, *Tom.* III. *Sigism. Jacobi* APINI *Vitæ Procancellar. Academ. Altdorf.* 4to. *pag.* 6. aliosque.

(*b*) *Paulus* FREHERUS in *Theatr. Viror. erudit. p.* 1042. *Georg. And.* WILL *Nürnbergiſches Gelehrten - Lexicon*, *Tom.* 3. *p.*294. & alii paſſim.

(*c*) Ipſe iterum de ſe ad *Dan.* PRASCHIUM *l. c.*

(*d*) *Paul.* FREHERUS, *l. c.* Quantum verſibus pangendis valuerit, certiſſimo argumento ſunt *Carmina* a *Noſtro* extantia.

(*e*) *Mart.* CRUSIUS *Rer. Suevic. Dodec. III. p.* 799.

(*f*) *Georg. Andr.* WILL *Nürnbergiſches Gelehrten - Lexicon. l. c.*

ſtoris honores laudabiliter ſit conſecutus (*g*). Minus conſtat, qua in Academia *Noſter* in numerum *Doctorum Juris* cooptatus fuerit. Quid ſi in Academia *Patavina*? Certe ibi *Jacob.* MENOCHIUM ſe audiviſſe profitetur in *Præfatione* ad *Nemeſin Karulinam*, a ſe editam, his verbis: *Cl. Virum Jacob.* MENOCHIUM *J. C. Coryphæum & Antecefforem Patavinum* (*h*) Doctorem meum, *ſæpiuſcule adduxi* &c. Niſi dicere malis, *Noſtrum* vocaſſe MENOCHIUM, *Doctorem ſuum* ob id unice, quod ejus lectione maxime delectaretur. In *Italia* dum ſubſtitit, arctiorem (*i*) cum *Auguſtino* KOECKERTO, percelebri poſtea Jurisconſulto, amicitiam contraxit: partis autem omnigenæ eruditionis ſubſidiis quamplurimis, ex ea orbis regione in *Germaniam* viam, ut conjicio, relegens, *Venetiis Gabrielem* SEVERUM τὸν τῆς φιλαδελφίας convenit, ab eoque litteras *Martino* CRUSIO, famoſiſſimo *Tubingenſis* academiæ Profeſſori, impetravit; cui illas etiam anno 1586. 15. Julii ex civitate *Auguſta* transmittere minime omiſit (*k*). Sic patriæ redditus, non multo poſt tempore, anno nimirum 1589. a D. GUILIELMO, *Widæ* Comite, *Roncaliæ* & *Iſenbergæ* Domino, in *Conſiliarium* adlectus eſt: cui, ut & aliis nobilibus Viris, tum conſiliorum ſuorum gravitate prudentiaque, tum dexteritate atque induſtria ſingulari plurium annorum ſpatio mire ſeſe commendabilem fecit (*l*); donec a Senatu *Norimbergenſi*,

(*g*) *Georg. Andr.* WILL, *l. c.* aliique.

(*h*) De *Jac.* MENOCHIO videri poterit *Nic. Comn.* PAPADOPOLI in *Hiſt. Gymnaſ. Patav. Tom. I. p.* 262.

(*i*) V. *Georg. Andr.* WILL, *l. c.*

(*k*) V. *Mart.* CRUSIUM, *l. c.*

(*l*) *Paul.* FREHERUS & alii. Confer *Jac.* BRUCKERI *Miſcellanea*, *p.* 476. 477.

genſi, ut idem munus, *Conſiliarii* nimirum, ejus Reipublicæ commodo fungeretur, evocatus fuit. Accidit hoc anno 1599. uti ipſe in *Dedicatione* ad Senatum *Norimbergenſem*, THEMISTII a ſe vulgatis *Orationibus* præfixa, dataque anno 1605. *Idib. Sextil.* indicat, ſequentibus verbis: *Vires exſuperet meas, pro dignitate præconiis efferre dotes illius ipſius urbis* (Norimbergenſis) *quæ ad clavum ſedente Hieronymo* PAUMGARTNERO *Viro generoſo ... me excepit, & hoc* proximum ſexennium, quodque excurrit, *me benigne habuit* (*m*). Antequam *Norimbergam* adiit, connubio ſibi junxerat anno 1595. *Annam Mariam* SEELIN, ex civitate *Simmern* oriundam, quam tamen anno 1617. morte raptam amiſit mœrens (*n*).

Stabili itaque ſede *Norimbergæ* fixa vitæ, quod ſupererat, ſpatium ſumma cum laude traduxit, & publicis & litterariis negotiis intentus. „ Qua re „ factum, ut non ſolum celeberrimæ illi civitati, „ ſed etiam quibusvis per orbem *teutonicum* & fini„ timas regiones viris eruditis virtutem doctrinæque „ facultates multimodis teſtatas effecerit: idque „ adeo, ut facile tunc temporis ille in litteris hu„ manioribus hoſpes cenſendus fuerit, qui REMI „ nomen aut ignorarit, aut obiter tantum (*o*) in„ audierit. “

Anno 1623. 29. Junii, cum *Univerſitas Altdorfina* ſolenni pompa inauguraretur, *Noſter*, ſenio decrepiti *Philippi* CAMERARII vices ſuſtinens, *Orationem inauguralem* in templo recitavit: cumque anno

(*m*) Hinc *Georg. Andr.* WILL hallucinatur, dum *l. c.* ait: *Noſtrum* primum anno 1600. a Republica *Norimbergenſi* in *Conſiliarium* adſumptum fuiſſe.

(*n*) *Georg. Andr.* WILL, *l. c.*

(*o*) *Paul.* FREHERUS, *l. c.*

anno ſequenti (1624. 22. Junii) idem *Philippus* CAMERARIUS diem ſupremam obiviſſet, in ejus ſuccedens locum, *ſecundus* memoratæ *Univerſitatis Procancellarius* (non *Profeſſor*, uti vult *Henningus* WITTE in *Diario biographico* ad annum 1625. quem eum nullibi hactenus legi) conſtitutus eſt (*p*). At brevi admodum tempore honorificum hoc munus tenuit; quippe anno 1625. ætatis vero 65. celeri morte e vivis ſublatus, naturæ debitum perſolvit, ſine liberis decedens (*q*).

Epitaphium vivus ipſe ſibi erexit *Norimbergæ* anno 1620 (*r*), quod *Daniel* PRASCHIUS, a *Noſtro* ſibi communicatum, ſuis *Epitaphiis Auguſtanis*, *Tom. II. p.* 1. inſeruit, in hæc verba perſcriptum:

SS. Triadi - Monadi. S.
Titulos, Volupiam, Pluton aſſanias puto,
Inanias, inſanias, infamias.
Via. Veritas. Et. Vita. Falli. Neſcia.
Spes. Petra. Turris. Fida. Pax. Illuminans.
Lux. Scutum. Aſylon. Unice. Summum. Bonum.
Lytron. Redemptor. Soſpitator. Et. Salus.
Bonus. Ille. Paſtor. Archiater. Et. Pater.
Rex. Et. Propheta. Maxumusq. Pontifex.
Perenniumq. Gaudiorum. Tu. Dator.
Mihi. Chriſte. Homo - Deus. Solus. Quin. Omnia.
GEORGIVS. REMVS. V. I. DOCT.
PATR. AVG. VINDEL.
REIQ.

p) *Paul.* FREHERUS, *l. c. Sigism. Jac.* APINUS in *Vitis Procancellariorum Academ. Altdorf.* aliique paſſim.

(*q*) *Georg. Andreas* WILL, *l. c. Sigism. Jac.* APINUS, *l. c.* qui tamen in eo errat, quod *Noſtrum* anno ætatis *ſexageſimo quarto* diem ſupremam oppetiviſſe ait; aliique paſſim.

(*r*) Conſule *Epiſtolas* REMI noſtri, præmiſſas *Tomo III. Dan.* PRASCHII *Epitaph. Auguſt.*

REIQ. P. NORIMB. A. CONSILIIS
FRETVS. CERTISS. SPE
GLORIOSÆ. RESVRRECTIONIS
SIBI. H. M. POS.
ANNO. SOTERIS. CIↃ. IↃ. CXX. ÆTAT. LX.
Mortalis natus morior ; Tu vincere mortem
Rex immortalis, das mihi morte tua.
Abi. Hoſpes. Et. Deum. Timens.
Mori Para.

Aliter hoc Epitaphium effert *Sigism. Jacob.* APINUS in *Vitis Procancellarior. Acad. Altdorf. p.* 7. quod hoc loco ſubjicere iuvat; quia annum obitus accurate exprimit:

Mihi Chriſte Homo-Deus , ſolus, quin omnia.
Georgius REMVS *V. J. D. Patritius Aug. Vindel.*
Reipublicæ Norimberg. a Conſiliis, ſpe certa
Reſurrectionis glorioſæ ſibi H. M. P.
Aetatis anno LXV. Chriſti M DC XXV.
Abi Hoſpes, Deum timens, morti te para.

Tumulum autem nactus eſt *Noſter* teſte mox laudato APINO in cœmeterio *Johannitico* prope *Norimbergam.*

Inſignibus familiæ ſuæ, taurum in pulvino ſtantem repræſentantibus & æri inſculptis, ſequentia hexametra ſubſcripſit (*s*).

Cernis aratorem pulvino inſiſtere taurum ;
Jure! Quies duro debetur honora labori.

Quanta *Noſtrum* obſervantia Viri, illius ætatis ſcientia eruditioneque principes, coluerint: quam officioſa hos viciſſim ſedulitate proſecutus ſit *Noſter*, abunde comprobant Carmina & Encomia, tum ab iis in *Noſtrum* tum a *Noſtro* in eos edita. Placet horum præcipuos nominare; ſunt autem: *Marcus* VELSERUS, *David* HOESCHELIUS, *Iſaacus* CASAU-

(*s*) *Paul.* FREHERUS, *l. c.*

Digitized by Google

SAUBONUS, *Marquardus* FREHERUS, *Scipio* GENTILIS, *Conrad.* RITTERSHUSIUS, de quo inferius ſermo recurret, *Janus* GRUTERUS, *Janus* DOUSA, MELISSUS, *Bernardus* PRÆTORIUS, *Joannes* CELLARIUS, *Petrus* FRADEL, *Alb.* MOLNARUS, *J. P.* LOTTICHIUS, *Georg. Theod.* HOFMANNUS, *Joannes* CASELIUS. LOTTICHIUS quidem hæc de Noſtro cecinit:

REMVS *in Aonio ramus viret arduus horto,*
Bellerophôntææ quem rigat humor aquæ.
Macte, Decus Phœbi! jam dudum nubila tranat
Frons tua ſidereis proxima, REME! *plagis.*

HOFFMANNUS autem in *Chryſophilotheca*, *millenar. Anagrammatiſm. I. theca.* 3. ſequentibus *Noſtrum* collaudavit:

Georgius REMUS.
per Anagramma:
Verum Os gregis; aut *O! gregi murus es.*

REME! *ſacræ legis ſacræque Themiſtos ocelle!*
REME! *poëtarum gemma, corona ſophum!*
Si quiſquam ſupereſt, cui Jus & Carmina curæ;
Diſperea-m, ſi non te ſupereſſe rear.
Tu pietate gravis, tu cuſtos juris & æqui,
O! gregis os verum, murus es *atque* gregi.
Tu (tua Scripta probant) tam lactea carmina ſcribis,
Quæ Cypriæ vincunt mulſaque lacque Deæ.
Hinc Baldum *noſtrum te dicimus, atque* Maronem,
Et merito duplex hinc tibi ſurget honos.

Similiter *Alb.* MOLNARUS in *Luſu poetico &c.* verſus, ad *Noſtrum* honoris ergo ſcriptos, exhibet. In eundem cenſum quoque venit parvus ſed raro admodum obvius Libellus: *Io.* CASELII *Epiſtolæ IV. ad Georgium* REMUM *& alios. Acceſſerunt vota & elogia amicorum in ejuſdem* REMI *Natalem L. & Inſignia gentilitia, cum anagrammate uno atque altero.* 4.

Alt-

Altdorf. 1610. in quo Libello ipſius REMI noſtri quoddam ingenii monumentum occurrit cum hac epigraphe: *Ξένιον φιλοφιλίας ad Cph. Danubianum, P. C. Eccleſ. Ratisbonenſ. Miniſtrum* (t).

Sed de amicis & encomiaſtis *Noſtri* ſatis: tempus eſt, ad Operum ejus enumerationem progredi, quorum permulta repperi, præter quam *Paul.* FREHERUS in *Theatro Viror. erudit.* ſcripſit. Sequar autem in illis recenſendis maxime *Georg. Andr.* WILL, qui eorum perquam accuratum catalogum texuit in Libro: *Nürnbergiſches Gelehrten - Lexicon, Tom. III. p.* 296. ita tamen, ut, quæ a me noviter obſervata fuerunt, ſuis locis exacte interſeram.

Præter *Orationem inauguralem*, de qua ſuperius dictum eſt, & quæ in *Actu Promulg. Privileg. Doctor. Univerſ. Altdorf.* 4°. 1624. excuſo invenitur: præter Ξένιον φιλοφιλίας, de quo mox ſermo habitus eſt, edidit *Noſter* ſequentia:

I. *Σύγχαρμα abeunti Aug.* KOCKERTO *ex Italia in Germaniam ſcriptum*; circiter anno 1583.

II. *Nemeſis Karulina. D.* KARULI V. *Imp. P.P. Aug. Invictiſſ. ſacrique Imperii Romani Ordinum Leges capitales, paraphraſi expoſitæ & ſcholiis auctæ.* 8. *Hebornæ Naſſoviorum.* 1594. Dedicavit *Noſter* hunc laborem ſuum, ſive, ut ipſe ait, *tyrocinium* illuſtri Heroi D. GUILELMO, *Widæ Comiti &c.* mœcenati optimo. Alias Editiones memorat *Mart.* LIPENIUS in *Biblioth. jurid. p.* 107. *Georg. Andr.* WILL in *Nürnbergiſch. Gelehrten - Lexicon. Sigism. Jac.* APINUS in *Vitis Procancellariorum Acad. Altdorf. p.* 9. qui ex *Præfatione* Libri aſſerit: *Noſtrum* primum in patria hoc Opus confeciſſe: & laudem, quam

(t) V. *Georg. Andr.* WILL, *l. c.*

quam inde *Georgius* noſter conſecutus eſt, repperiri in *Præfatione* dedicatoria *Libri rationalis Conſtitut. Imperial. Melchioris* GOLDASTI.

III. *Vir pius & ſapiens*, *h. e.* in SALOMONIS *regis* παροιμιῶν *Librum Spicilegium I.* 8. *Herbornæ.* 1596. Hoc Opus *Paul.* FREHERUS & alii paſſim *Noſtro* tribuunt, titulum ejus paulo aliter, ac ego inveni, allegantes. Opus dicatum eſt *Miniſtris* Verbi comitatus *W.dæ*, præfecturæ *Diedorpianæ*, dynaſtiæ *Roncaliæ* & *Iſenbergi;* cui acceſſit aliud *Spicilegium in Eccleſiaſten*, ita ut revera tanquam duo inter ſe diverſa Opera ſpectari poſſint:de quibus libris FABRICIUS in *Hiſt. bibl. Tom.* 6. *p.* 401. teſtatur: *quod nec ubivis vel noti ſint, vel obvii.* Ceterum hoc labore *Noſter* locum ſibi vendicat inter Jurisconſultos deStudio biblico Theologiaque bene meritos: atque ob eam rem a *Theodor.*EBERTO in *Eulogiis Jurisconſultorum*, *qui ebraicam linguam aliasque orientales propagarunt*, *auxerunt*, *promoverunt &c. pag.* 80. *ſeqq.* deprædicatur; quod quam jure factum ſit, demonſtrabunt alia *Noſtri* Scripta in *Libros S. Scripturæ*, inferius memoranda.

IV. *Epicedion*, extans in *Exequiis Baumgartnerianis diverſorum Auctorum*, editis a *Conrad.* RITTERSHUSIO, *Nor.* 1603. 4.

V. THEMISTII *Philoſophi*, *Euphradæ ab eloquentia dicti*, *Orationes ſex auguſtales ad Conſtantinum*, *Jovianum*, *Valentem & Valentinianum II. Impp. Augg. habitæ. Græce; & nunc primum in Latinum ſermonem converſæ a G.* REMO, *cum ejusdem notis*, *in quibus non pauca ad Politica*, *Hiſtorias*, *Mores & Leges. Adjecta eſt ſeptima* THEMISTII *Oratio ad Valentem Imp. pro libertate Religionis*, *latine*: *& denique Vita* THEMISTII, *quantum* REMUS *hinc inde colligere potuit.* 4. *Ambergæ.* 1605. *Bibl. Auguſt. Alph. I.* L Opus

Opus hoc, hortante *Marquardo* FREHERO, a ſe ſuſceptum dedicavit *Noſter Conſulibus & Senatui* civitatis *Norimbergenſis*; cui illud munuſculum minime ingratum fuiſſe, ipſe ſæpius gloriatus: contra vero graviter in quadam ſuarum *Epiſtolarum* conqueſtus eſt, id ipſum male a *Marco* VELSERO exceptum fuiſſe (*u*).

VI. *Eidyllion* REMI: Omnia, *inſcriptum* ad D. *Alb.* MOLNAR *Pannonem. Amb.* 1605. 4.

VII. *Asbeſtos Sedomi incendium*, *Magnæ* VI*n*-DIC*tæ ſpeculum carmine expoſitum, ſirenæ loco acceptum-redditum a G.* REMO. *Nor.* 1607. 4.

VIII. Εἰκόνων *ſive Encomiorum Libellus ſingularis ad Eliam* ROSINUM, *ejusque filios, Palladios alumnos. Amb.* 1610. 12. Hoc Opus cum *Emblematibus politicis &c.* paulo inferius recenſendis male miſcuit *Sigism. Jac.* APINUS in *Vitis Procancell. Acad. Altdorf.*

IX. *Congratulationes in feliciſſ. ex Galliis & Britannia M. in Germaniam reditum illuſtr. Princip. D.* HULDRICI *Ducis Brunsvicenſ. & Lunæburgenſ. conſcriptæ a G.* REMO, *aliisq. Nor.* 1610. 4.

X. *Carmina* varii argumenti, ſcilicet: *In obitum* JOANN. CASIMIRI *Princ. Palatini. In Jani* GRUTERI *Senecam*, & *Conjugium ejusdem. Manibus Jani* DOUSÆ. *Beatis Manibus D. Hieronymi* BAUMGARTNERI. *Epigrammata in diverſas priſci ævi Perſonas. Nuptiis Chriſtophori* HELDI. Inve-

(*u*) V. *Jo. Alb.* FABRICII *Biblioth. Græc. Tom. VIII.* p. 15. ubi FABRICIUS obſervat: ceteras quoque THEMISTII *Orationes* a ſe illuſtratas editurum ſe, promiſiſſe *Noſtrum* in *Epiſtola* ad *Jo.* KIRCHMANNUM; at nihil harum repperire hucusque potui. Confer. *Sigism. Jac.* APINI *Vitas Procancell. Acad. Altdorf. p.* 8. 9. *Georg. Andr.* WILL *Nürnbergiſch. Gelehrten - Lexicon, Tom. III. p.* 295.

Inveniuntur iſta in *Deliciis Poetarum Germanorum hujus ſuperiorisque ævi illuſtrium*, *Part. V. p.* 546. *ſeqq. Francof.* 1612. excuſis.

XI. Ἀνάκρεων ἐπικήδιος *cum voto ad D. Philipp.* HAINHOFERUM *P. A. Adfinem Amicumque optimum maximum &c. Nor.* 1617. 4.

XII. *Emblemata politica in magna aula Curiæ Norimb. depicta. Nor.* 1617. 4. Opus infrequens, cujus Tabulas æri incidit *Petr.* ISELBURGIUS, nervoſis autem lemmatibus, rotundisque verſiculis tam latinis, quam germanicis ornavit REMUS; id quod ultima pagina litteris *G. R.* notata indicat.

XIII. *Marci* VELSERI *Aug. Vindel. II-Viri, Præfectique VII-Virum Collegio, Manes ab amicis manibus. Et hoc quidem pacto exſequias ivimus. Nor.* 1617. 4. Cum anno 1614. 23. Junii *Marc.* VELSERUS ſupremis fatis conceſſiſſet, *Noſter*, ut tanti Viri nomen æternæ memoriæ conſecraret, Carmina hæc, a Viris doctiſſimis & amiciſſimis in laudem defuncti ſcripta, in unum collegit, & *Dav.* HOESCHELIO dicavit ſequenti προσφωνήσει.

Viro Cl. Davidi HOESCHELIO *Aug. Vind. Gymnaſiarchæ Annæano, de græcis litteris optume promerito; civi meo & amico pyladeio &c. Hoſce pios M.* VELSERI *Manes, Hiſtorici ſummi & in omni antiquitate verſatiſſimi, bonarum artium ac diſciplinarum Mæcenatis bene merentiſſ. ab Amicis omni officio pietateque parentantibus conſcriptos, totidem amoris ſive officiis σφραγίδας, ne perirent, congeſtos modo editos G.* REMUS, *neminis candidi & boni offenſam ſubveritus, neque inanem applauſum expetiſcens*

Conſecrat.

Tranſierunt poſthæc *Manes* iſti in Collectionem

Operum M. VELSERI a *Chriſtoph.* ARNOLDO adornatam, annoque 1682. *Norimbergæ* editam.

XIV. *Carmen de Acidulis Gœppingenſibus & Ebenhuſanis.*

XV. *Elogium Arcis Blanckenhemi.* Hoc Opuſculum, a *Georg. Andr.* WILL penitus omiſſum *Noſtro* adſcribit Liber: *Allgemeines hiſtoriſches Lexicon. Baſel. fol.*

XVI. *Diſſertatio, qua Commentum eſſe putidum:* calcaſſe collum Imperatoris Friderici I. Ahenobarbi Cæſar. Alexandrum III. Pontificem Romanum, *oſtenditur. Norimb. Typis Abrah. Wagenmanni.* 1625. 4. Habita eſt hæc *Diſſertatio* in Actu Doctor. ſolenni, *Altdorfii*, Idibus Junii 1625.

XVII. Volens, de Scriptoribus quoque eccleſiaſticis & SS. Patribus mereri quam optime, conſcripſit *Noſter Notas* in CLEMENTEM *Alexandrinum*, quas *Fridericus* SYLBURGIUS ſuæ *Operum* CLEMENTIS editioni inſeruit, ubi a reliquis Virorum eruditorum Annotationibus per initialem nominis *Noſtri* litteram R. diſcernuntur (*x*). Ex editione *Sylburgiana* in ſubſequentes editiones, nominatim in editionem anno 1688. *Coloniæ*, verius *Wittebergæ*, publicatam, ac denique in noviſſimam præſtantiſſimamque *Operum* CLEMENTIS *Alexandrini* editionem, a *Jo.* POTTERO, *Oxonii.* 1715. duobus in *folio* voluminibus vulgatam migraverunt.

XVIII. *Bartholomæi* FONTII *Orationes in eloquentiam, in hiſtoriam, in bonas artes, in poëticen, in ſapientiam, in ſatyram, & ſtudia humanitatis &c. &c.* Videns *Noſter* primævam *Opuſculorum* FONTII editionem perraram factam, maxime autem horta-

(*x*) V. *Nic. Hieron.* GUNDLING *Hiſtorie der Gelahrtheit*, *Tom. I. p.* 1338. *in Notis.*

hortationibus gratioſis AUGUSTI *Junioris*, Ducis *Brunsvic. & Lunæburgenſ.* incitatus, eadem iteratis typis publicandi animum induxit: cumque inſuper ab eodem Principe ineditum FONTII *Commentarium in* PERSIUM mutuo accepiſſet, nil gratius ſeſe Reipublicæ litterariæ præſtare poſſe credidit, quam ſi novam editionem *Opuſculorum* FONTII adornaret; quam etiam anno 1621. *Francofurti.* 12. publici juris fecit dicatam memorato Principi AUGUSTO, præcipuo hujus editionis promotori; de qua re conſuli poterunt *Epiſtolæ* iſtius Principis extantes in *J. G.* SCHELHORNII *Amænit. litterar. Tom. III. p.* 251. *ſeqq.* Liber: *Denckwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu Dresden, Tom. III. p.* 251. *Georg. Andr.* WILL *Nürnberg. Gelehrten-Lexicon, Tom. III. p.* 299.

XIX. Dicendum modo de *Epiſtolis*, quas *Noſter* ad doctos ætatis ſuæ Viros, ſibi amicos, transmiſit. Ex his *editæ* ſunt, quæ ſequuntur. 1°. *Epiſtola conſolatoria G.* REMI *ad Cl. M. Petrum* FRADELIUM (ſcripta 1620.) *Pragæ.* 4. Haud dubie FRADELIUS epiſtolam hanc, qua eum de Adverſarii cujusdam moroſitate *Noſter* ſolatus eſt, imprimi curavit: Patet autem ex illa, REMUM anno 1613. *Pragæ* fuiſſe (*y*). 2°. *Epiſtolæ VIII. ad Caſp.* HOFMANNUM. *Epiſtolæ II. ad M.* MEICHSNERUM. *Epiſtolæ III. ad Mich.* VIRDUNGUM (*z*). 3°. *Epiſtola I. ad* JUNGERMANNUM. *Epiſtolæ VIII. ad Jo.* KIRCHMANNUM. *Epiſtola I. ad Jo.* ELSWYCHIUM (*a*). 4°. *Epiſtolæ VIII. ad Daniel.* PRASCHIUM, edi-

L 3 torem

(*y*) V. *Georg. Andr.* WILL, *l. c.* qui eandem *Epiſtolam* in *Commercio Epiſt. Nor.* ſe denuo vulgaturum promiſit, quippe valde raram.

(*z*) V. *Ge.* RICHTERI *Epiſt. Mantiſſ. I. p.* 596. *Mantiſſ. V. p.* 748. *& Spicileg. Epiſt. Norimb.* 1662. 4. *p.* 848.

(*a*) Extant in *Epiſtol.* GUDIANIS, *p.* 211. *ſeqq.*

torem *Epitaphiorum Auguſtanorum*, omnes de ipſa horum evulgatione a entes (*b*). 5°. *Epiſtola I. ad Ludov.* LUCIUM (*c*). *Epiſtola I. ad Jo.* PISCATOREM (*d*) 6°. *Excerpta ex ineditis Epiſtolis Noſtri* repperire eſt in *Collectione nova Librorum rariorum*, *p.* 557. *ſeqq.* (*e*). 7°. *Fragmentum Epiſtolæ* REMI *ad Jo.* CASELIUM deprehendes in *Epiſtol.* NOLTENII, *Vol. I. n.* 10. (*f*).

Has præter, alias multas *manuſcriptas* in Bibliothecis hinc inde ſparſas deliteſcere nullus dubito. Sic teſte *Jo. Georg.* SCHELHORNIO (in *Amœnit. litterar. Tom. III. p.* 117.) plures *Epiſtolæ manuſcriptæ* a *Noſtro* in Bibliotheca D. *Raymundi de* KRAFFT extiterunt, illo ex Bibliotheca *Theophili* SPIZELII profectæ. Amplam inſuper & quovis pretio æſtimandam *Collectionem Epiſtolarum*, tria in *folio* Volumina implentem, *Noſtri* ad Doctos ſui temporis, & horum, nominatim *Conrad.* RITTERSHUSII, ad *Noſtrum* vidi in Bibliotheca *D. Georg. Guilielmi* ZAPFII, jam libris in vulgus editis clari. Complures inſuper Epiſtolas, a *Noſtro* exaratas, in ampliſſima *Collectione* ſua *epiſtolica manuſcripta* poſſedit *Jo. Chriſtophor.* WOLFIUS Paſtor, ad *D. Catharinam*, *Hamburgenſis*; prout ipſe in *Conſpectu ſupellectilis epiſtolicæ & litterariæ &c.* 8. *Hamburgi.* 1736. docuit.

XX.

(*b*) Extant in fronte *Epitaph. Auguſt. Daniel.* PRASCHII, *Tom. III.*

(*c*) Repperitur in Diſceptatione: *Num Chriſtus pro peccatis noſtris juſtitiæ divinæ ſatisfecerit, necne? Baſileæ.* 1613. *in* 12. Recuſa eſt in ZELTNERI *Hiſtor. Cryptoſoc. p.* 82. *Altdorfii.*

(*d*) Habetur in *Erneſt. Salom.* CYPRIANI *Catal. Codd. MSS. & Epiſtol. Biblioth. Gothanæ*, *p.* 149.

(*e*) Sic teſtatur *Georg. Andr.* WILL, *l. c.*

(*f*) Sic teſtatur *idem.*

XX. Et quoniam de *Manuſcriptis Noſtri* ſermo incidit, hoc loco commemorare omnino debeo Opus ineditum, a REMO conſcriptum. Ejus primam notitiam orbi litterato *Jacob* BRUCKERUS, ſollicitus rei litterariæ *auguſtanæ*, nec infelix indagator, præbuit, *Diſſertatione epiſtolica* (g) ad *Sigism. Jac.* APINUM, Profeſſorem *Norimbergenſ.* de eodem ſingulariter commentatus; ex qua ſequentia delibanda duxi. „Titulus Operis hic eſt: Η ΑΡΙΣΤΟΠΟΛΙΤΕΙΑ,
„ *ſive de optimo Reipublicæ ſtatu, tam ad Principem*
„ *quam ad Civem bonum informandum*, διδασκαλίαι
„ *exegematis in IV. Libros* REGUM *explicatæ &c.*
„ Dedicatio a *Noſtro* ſcripta eſt, ad GUILELMUM,
„ *Widæ* Comitem, cui etiam, ut ſupra monui,
„ *Nemeſin* ſuam *Karulinam* ſacraverat: cuique eo
„ tempore, quo hanc *Ariſtopolitiam* ſcribebat, an-
„ no nimirum 1593. a conſiliis fuit. Dedicationem,
„ quæ ſimul præfationis vicem ſuſtinet, ſequitur
„ ipſum Opus, in quo hoc præcipue negotii ſibi ſum-
„ pſit Auctor, ut veræ ac chriſtianæ prudentiæ fun-
„ damenta ponat: artem regendarum Rerumpubli-
„ carum commonſtret: quid Principi juxta ac Civi
„ bono fugiendum, faciendumve ſit, edoceat: &,
„ quæ docuit, exemplis e REGUM *Libris IV.* de-
„ ſumptis confirmet. Sic dum ad ſcopum primari-
„ um adtendit Auctor, minime, quæ acceſſoria
„ ſunt, negligit, Verſionem vulgatam cum aliis
„ conferens, media hermeneutica ſuis locis adhi-
„ bens, ſenſum obſcurum illuſtrans, *græcam* præ-
„ cipue Verſionem in ſubſidium vocans &c. Stylo
„ autem utitur aperto, gravi, rebus, quas tra-

L 4 „ ctat,

(g) V. *Jac.* BRUCKERI *Miſcellan. Hiſt. philoſ. &c. p.* 474. *ſeqq.* Item, ſi lubet, Librum *Sammlung von alten und neuen theologiſchen Sachen, Leipzig.* 8. *ad annum* 1726. *p.* 111.

„ ſtat, conveniente, multamque Auctorum claſſi-
„ corum lectionem prodente." Pro coronide addit BRUCKERUS duas Obſervationes. *Prima* eſt, dicta *exegemata* ſolum ad *duos priores* REGUM *Libros*, non ultra extendi, nec etiam veroſimile eſſe, REMUM longius proceſſiſſe. *Secunda* eſt, ſeſe ſollicite indagaſſe, an *Opus* hoc nullibi ſorte typis excuſum fuerit, neque tamen vel volam alicujus editionis deprehendere potuiſſe. De reliquo autographum hujus *Operis* in ſua Bibliotheca ſervavit, dum vixit, *Jac.* BRUCKERUS; quo fatis functo, divenditaque Bibliotheca, illud ad paulo ante laudatum D. *Georg. Guilelm.* ZAPFIUM, ab hoc denique in *Bibliothecam Göttingenſem* tranſivit.

XXI. His omnibus accedunt *Commentarii in Geneſin, Exodum, Leviticum, Numeros, III. & IV. Librum Regum, Pſalmos Davidis, Jeſaiam, Ezechielem, Danielem, Amos, Joelem, Jonam, Obadiam, Haggæum, Zachariam, Malachiam, IV. Evangelia, Actus Apoſtolorum, & Epiſtolas Pauli*, qui a *Noſtro* congeſti, *manuſcripti*, extiterunt in *Bibliotheca* SPIZELIANA, in 4to. *a numero* 132. *usque ad numerum* 146. Confer, ſi lubet, *Catalogum* dictæ *Bibliothecæ* impreſſum in *folio*, anno 1705. *pag. ult.* item *Jac. Le* LONG *Biblioth. ſacr. Tom. II. p.* 924.

XXII. Nuperrime vidi in Bibliotheca V. Cl. *Georg. Guil.* ZAPFII exemplar Operum *Caii Sollii Apollinaris* SIDONII, ex editione *Jo.* SAVARI, *Pariſiis*, 1599. cui *Noſter* tum *Summaria Epiſtolarum*, *Marginalia*que, tum *Lectiones variantes* cujusdam Codicis manuſcripti adſcripſit: ex quo conjicere fas eſt, eum novam Operum *Apollinaris* SIDONII editionem parandi conſilium animo verſaſſe; quod tamen exitum habuiſſe vix crediderim.

En-

En tibi, Lector! catalogum *Operum* REMI noſtri, tam impreſſorum, quam manuſcriptorum, poſt conatus *Georg. Andr.* WILLII, quantum fieri a me potuit, abſolutiſſimum; ex quo facile cognoſces, multiplicem lateque diffuſam doctrinam *Noſtro* adfuiſſe, utpote quæ non in humanioribus litteris morata eſt, ſed ſeſe ad ſeveriores diſciplinas, omniumque longe difficillimum ſtudium, *Biblicum* ſcilicet, feliciter protendit.

ROMEL (*Baruch Loth*)

Medicus *Auguſtæ* circa annum 1600. Ab eo extat:

Cervus, h. e. de Cervi Significatione hieroglyphica Carmen. 4. *Auguſtæ.* 1600.
quod Opus etiam lingua *germanica* prodiit ibidem. 1602. (*a*)

(*a*) V. *Chriſt. Gottl.* JOECHER *Gelehrten Lexicon, Tom. IV. Mart.* LIPENII *Biblioth. philoſophica*, *p.* 272.

SALLER (*Philippus*) Canon. Regul. *Pollinganus.*

Juvat de *Noſtro* hic afferre, quæ Liber: *Collectio Scriptorum Rerum hiſtorico - monaſtico - eccleſiaſticarum*, fol. *Ulmæ. Tom. V. P. I. p.* 266. verbatim habet: „ Primum locum damus venerabili *Seniori* noſtro *Philippo* SALLERO, patria *Auguſtano-Vindelico*, viro ingenii feliciſſimi, judicii ſummi, „ & in omni Hiſtoria ſacra & profana, maxime *Boica*, eruditionis immenſæ... Præter Opuſcula edita, quorum *Parnaſſo Boico* aliqua, ipſo etiam „ invito, inſerta fuerunt, reliquit is nobis:

„ I. *Manuale Novitiorum.*

„ II. *Chronicon noſtri Collegii ad ſua usque tempora perductum.*

„ III. *Catalogum Prælatorum, qui Canoniæ Pollinganæ præfuerunt, una cum catalogo eorum, qui*

„ *ſub eorum regimine in apoſtolicas Auguſtini leges*
„ *jurarunt*, *numero & ordine digeſtum.*

„ IV. *Tria circiter millia Concionum*, quas, ut-
„ pote 50. annos integros in *Peſtenackerenſi*, *San-*
„ *Hippolithenſi*, & *Forſterriedenſi* parochiis noſtris
„ expoſitus *Vicarius* magno cum animarum fructu
„ habuit, ſcripſit, compoſuitque, prælo utique dig-
„ niſſimas, niſi character, quo exaratæ ſunt, ca-
„ lamo vitreo, nimium minutus ac propemodum
„ oculos fugiens impigros etiam a labore abſter-
„ reret.

„ V. Conſcripſit varia *Ordinis* noſtri *Chronica*
„ & *Statuta*. Ex his poſterioribus aliqua AMORTI-
„ US in ſua *Veteri Diſciplina Canonicorum Regula-*
„ *rium & Sæcularium anno* 1747. *Venetiis* edita,
„ *Tom. II.* inſeruit.

„ VI. Fecit ex vetuſtis litteris ſibi communicatis
„ *Compilationem Sacerdotiorum & Altarium ſeu Be-*
„ *neficiorum in Collegiata Eccleſia ad D. Petrum*,
„ *Monachii.*

„ VII. Habemus ab ipſo ingentem *Litterarum*
„ *doctiſſimarum Collectionem*, quas diverſi ſtatus ac
„ ordinis viri erudititiſſimi ad ipſum dederant, rece-
„ perantque; aliquot duntaxat ex noſtro Ordine
„ honoris cauſſa hic nominabimus - - - - - inpri-
„ mis II. Abbates, unus in *Italia* Congreg. Late-
„ ran. Don *Cæſar* BENVENUTI *Cremenſis*, alter in
„ *Lotharingia* Don *Joannes Baptiſta* BIART Abbas
„ *Domaprenſis* &c. Dein *Hieronym.* BOZENHART
„ Wettenhuſanus - - - - - - - -
„ - - - - - - - - - - - -
„ - - - - - - - - - - - -
„ Item *Canoniſſæ regulares*, *Virgines Forrianæ*
„ *Eychſtettenſes*, *Nymphenburgenſes*, *Ratisbonen-*
„ *ſes* &c. omnes hoc tempore hic locorum recens
„ fun-

„ fundatæ, quæque noſtri *Philippi* conſilia & dire-
„ ctionem haud ſecus quam alterius *Petri* FORERII
„ & expetebant & ſequebantur. Dolemus tantum,
„ reſponſorias *Philippi* noſtri ut plurimum deſide-
„ rari, aut ſic ſcriptas eſſe, ut ſine difficultate haud
„ legi queant. Obiit autem *Philippus* octogenarius;
„ Profeſſione, Sacerdotio Jubilæus, anno 1744.
„ die XXI. Januarii. "

SAILER (*Gereon*)

Alias *Wigiles* vel *Anthopedios* & *Plomenthaler* (*a*) *ex Aicha* (i. e. *Blumenthalenſis* prope *Aicham*, quæ ſuperioris *Bavariæ* urbs eſt) *Joanni Alexandro* BRASSICANO in *Carmine*, de ſtatu Academiæ *Ingolſtadienſis*, circa annum 1523. vel 1524. edito (*b*) laudatus hoc diſticho:

„ His videas noſtrum, licet, adjunctum *Geryonem*,
„ Nullo qui minor eſt artibus ingenuis. "

Jano vero CORNARIO illuſtri Medico (*c*) *multarum rerum uſu & experientia clarus Medicus*, & *Amicus* dictus: a *Joanne Andrea* FABRICIO (*d*) inter celebres Sæculi XVI. Medicos annumeratus: a *Jac.* BRUCKERO (*e*) cum aliis *Auguſtanis* Jatris multa laude inſignitus, *Ingolſtadii*, ubi etiam *Moderatorem Contubernii Draconis* (*f*) egit, ſtudio *Medicinæ* ſedulam operam navavit, adeo ut in ea Univerſitate *Doctoris* lauream anno reparatæ ſalutis

1727.

(*a*) V. *Jo. Nepom.* MEDERER *Annales Academ. Ingolſtadienſ. T. I. p.* 125.
(*b*) V. *Ibidem*, *p.* 121.
(*c*) V. Dedicationem *Operum Hippocratis* abs CORNARIO editorum.
(*d*) In Libro: *Abriß einer allgemeinen Hiſtorie der Gelehrſamkeit*, *Tom. III. p.* 570.
(*e*) In *Vitis* OCCONUM. *p.* 18.
(*f*) *Jo. Nepom.* MEDERER *l. c. p.* 125.

1727. ſit conſecutus (*g*). Subin *Auguſtam* delatus, & ejus civitatis *Phyſicus* renunciatus, artem ibi medicam non ſine magna laude factitavit, ducta uxore *Felice* (fors Felicitate) MAYRIA ex vicina *Kaufbyra* oriunda; uti tradit *Jac.* BRUCKERUS (*h*), qui tamen fallitur, *Noſtrum* anno 1524. *Auguſtam* delatum aſſerens; nam cum ipſe SAILERUS in *Concluſ. & Propoſit. medicis* ſe biennio ante, quam morbus inſolitus, *Sudor anglicus* dictus, *Auguſtæ* invaluiſſet (Invaluit autem anno 1529. teſte Perilluſtr. *Paulo a* STETTEN *ſeniore*, in Libro: *Geſchichte der Stadt Augspurg*, *Tom. I. p.* 312.) in ea urbe appuliſſe dicat, neceſſario ſequitur, illum non anno 1524. ſed primum anno 1527. *Auguſtam* adveniſſe. Hunc primitus celeberrimi nominis Viro, *D. Joanni* ECKIO, *ita addictum fuiſſe, ut bibliopolæ lutherani ab eo vapularent: deinde vero in amore Scriptorum acatholicorum multum inſaniviſſe, & Catholicos miro odio proſecutum eſſe* tradunt *Annales Academiæ Ingolſtadienſis* a *Jo. Nepom.* MEDERER editi (*i*).

Cum anno 1534. *Gerardus* GELDENHAUERUS munus *Primarii* in Gymnaſio *Annæano*, *Auguſtæ*, depoſuiſſet, *Marpurgum* ad docendas *Hiſtorias* evocatus: conſtitutique a Senatu patrio Scholarchæ *Wolfg.* REHLINGER & *Zimpertus* HOSER ſe ſolos tanto oneri ferendo, ob alia multa, quibus diſtrahebantur, negotia haud pares eſſe exiſtimarent, *Noſtrum* una cum *Bonifacio* WOLFHARTO concionatore & *Conrado* HELDIO Jureconſulto præ aliis maxime

(*g*) *J. N.* MEDERER l. c. *p.* 132.

(*h*) *Jac.* BRUCKERUS in *Vitis* OCCONUM. *p.* 18. *Ach. Pirm* GASSARUS *Annal. Augſtburg.* apud *Jo. Burck.* MENCKENII *Scriptor. Rer. German. Tom. I. p.* 1800.

(*i*) *Tom. I. p.* 125.

xime idoneum cenſuerunt, quem in curæ hujus ſocietatem ex Senatus - conſulto adſciſcerent (*k*). Anno ſubſequenti (1535.) Kalend. Julii SAILERUS, adjuncto itineris ſocio *Caſpare* HUBERINO, a Senatu *Auguſtano Wittebergam* ad *Martinum* LUTHERUM miſſus eſt; cujus legationis cauſſam ſequentibus expoſitam reliquit *Achill. Pirminius* GASSARUS (*l*): „ Dein quando æque *hic* in *noſtris* Eccle-„ ſiis, atque *tota Germania*, *de re ſacramentaria* „ *ingens ſcandalum* ſubortum foret, venit Julio „ menſe *Straſburgo* huc *Martinus* BUCERUS, ac diu „ in parochiali *S. Joannis* templo concionatus an-„ ſam Senatui præbuit, ut ille miſſis Kalendis Ju-„ lii, una cum omnium *Concionatorum noſtrorum* lit-„ teris, *Geryone* SAYLERO Medicinarum Doctore, „ & *Caſpare* HUBERINO Eccleſiaſte *Wittebergam*, „ ſpem concordiæ in Religionis ſchiſmate LUTHERO „ fecerit &c. "

Diem ſupremam oppetiit *Noſter* anno 1563. ſepultusque eſt in templo cathedrali (*m*). *Nomen vero non praxeos tantum clinicæ felicitate, ſed librorum quoque editorum eruditione ſibi peperit.* Etenim juncta cum *Adolpho* OCCONE *II. Joanne* TIEFFENBACHIO, & *Wolfgango* THALHAUSERO opera *Conſilium de Peſte* publicavit (*n*) hoc titulo:

Was

(*k*) Ita teſtatur *Ach. Pirminius* GASSARUS *l. c.* ex quo refellitur error *Phil. Jac.* CROPHII in Libro: *Hiſtorie des Gymnaſiums zu St. Anna in Augſpurg*, *p.* 11. *Noſtro Georgii* nomen tribuentis.

(*l*) V. *Jo. Burck.* MENCKENII *Script. Rer. Germ. Tom. I. p.* 1800. Confer *Jo. Chriſt.* WENDLERI *Diſſert. II. de Meritis Reip. Auguſt. p.* 19. & *Pauli a* STETTEN *Geſchichte der Stadt Augſpurg*, *Tom. I. p.* 444.

(*m*) Ita teſtatur *Jac.* BRUCKERUS in *Vitis* OCCONUM, *p.* 19. penes quem fides eſto.

(*n*) V. *Jac.* BRUCKERUM in *Vitis* OCCONUM. *p.* 19. Confer *Joſ.* SIMLERI *Bibliothecam.*

Was die Peſtilenz an ihr ſelbſt ſey, mit ihren Urſachen und Arzneyen. 4°. *Augſpurg.* 1535. (*o*)

Utiliſſimum autem *Obſervationum medicarum Opus Schenkianum* (*) nec non *epiſtolam primam libri* 19. *Jo.* MANARDI, Medici *Ferrarienſis* præcellentiſſimi, immortalitatem *Noſtro* peperiſſe, tradidit *Lucas* SCHROECKIUS (*p*). Cum præfato certe *Jo.* MANARDO, *Conradoque* GESNERO & aliis claris Medicis amicitiam foviſſe *Noſtrum*, docet *Chriſt. Wilhelm.* KESTNERUS (*q*).

(*o*) V. *Jac.* BRUCKERUM, *l. c. p.* 39. Ceterum annis 1535. 1536. *Auguſtæ* peſtem graſſatam eſſe, tradunt Chronographi *Auguſtani.*

(*) Repetitis typis prodiit hoc Opus, cujus titulus eſt: Παρατηρήσιων, *ſive Obſervationum medicarum, rararum, novarum, admirabilium, & monſtroſarum Volumen &c. &c. Studio Jo.* SCHENCKII *a Graſenberg &c.*

(*p*) In *Hygeia Auguſt.* quæ extat apud *Jac.* BRUCKERUM in *Vitis* OCCONUM. *p.* 101.

(*q*) In Libro: *Mediciniſches Gelehrten-Lexicon.* 4°.

SAILER (*Raphael*)

Auguſtanus, *Juris utriusque Doctor*, *Comes Palatinus* (*a*), *Poëta*, *Græci ſermonis* callentiſſimus, Viris, tum nobilitate ſanguinis, tum eruditione rerumque tractandarum ſcientia principibus, charus atque amicus fuit. *Auguſtam Vindelicorum*, fæcundam doctorum virorum matrem, patriam extitiſſe *Noſtro*, in confeſſo eſt. Parentem autem habuiſſe eum *Gereonem* SAILERUM, de quo modo egi, tum permulta confirmant: tum ipſe teſtatur in *Dedicatione* ad *Marquardum* Epiſcopum Spirenſem, præmiſſa *Remiſſionibus*, *ſeu Relegationibus Juris.* 1571. a ſe editis, in qua eundem *Archiatrum*, *Philoſophum*,

(*a*) Hoc titulo *Noſtrum* honorat *Joann.* MOIBANUS in *Epithalamio* græcis verſibus ſcripto in nuptias *Noſtri* anno 1559. X. Cal. Octobr. *Auguſtæ Vindel.* contractas.

phum, *Protophyſicum Auguſtanum*, *Oratorem*que *eximium* appellat. Quo anno in dias luminis auras editus ſit, certo dicere non habeo; conjecturam tamen de ea re facere libet: Cum anno 1548. *Andreas* DIETHERUS, de quo ſuperius ſuo loco dictum eſt, *Noſtro*, tum *adoleſcenti*, ſuos *Flores ſeu Sententias morales ex* OVIDII *Naſonis Operibus congeſtas* dicaverit; cumque ipſius *Raphaelis* noſtri *Primitiæ* ſive Carmina, *quas ab anno ætatis XV. usque ad XVI. exaravit*, *Baſileæ*, anno 1551. typis excuſæ prodiverint, computatione inita colligi poſſe videtur, eum circa annum 1535. in lucem hanc editum fuiſſe. Certiora de die nativitatis *Noſtri* ſuppetunt, quem *Feſtum Epiphaniæ* fuiſſe, ipſe in ſupradictæ *Dedicationis* fine tradidit.

Juniorem adhuc in patria ſchola ad *S. Annam*, fors etiam ſub ipſo *Andrea* DIETHERO litteris humanioribus ſtuduiſſe, vero quam ſimillimum eſt. Jam tum *Noſtri* excellens & ad quasvis ſcientias habile ingenium, diverſarum linguarum artisque muſicæ cognitionem, ſingularem item virtutis amorem honeſtatemque morum multis ſibi a quodam VEIXNERO deprædicata fuiſſe, *Martinus* BALTICUS *Monacenſis* ſuorum *Poëmatum*, a *Philippo Ulhardo Auguſtæ* excuſorum *Libr.* 1. *Eleg.* 13. teſtatum reliquit, dolens vehementer, quod a *Raphaele*, cujus intimam amicitiam ſingulariter ambibat, *Monachio* in patriam revertente, & ex ea abitum in peregrinas oras parante tantis terrarum ſpatiis dividendus eſſet. Verba BALTICI hæc ſunt:

„ Phœbus, ab eoo currentes orbe, jugales
„ Condidit occiduo terve quaterve mari:
„ Ut, patriam repetens, liquiſti mœnia noſtra,
„ Nobile quæ *Monachûm* nomen adepta tenent.

„ Ve-

„ Verum, crede mihi, luces tot abiſſe videntur,
„ Quot rediens in ſe Cæſaris annus habet
„ Nam mea mens tecum longos conſumere ſoles
„ Ardet, &, id quoniam non licet, ægra dolet.
- - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - -
„ Nam ſi prima meæ repetantur tempora vitæ,
„ Pene tui puero nominis ardor erat.
„ Oppida parva tenent *fortiti nomina pontis*,
„ Qua canus liquidis *Ammera* ſerpit aquis.
„ Hic ego libavi primum de fonte liquorem,
„ Gorgoneus rapido quem pede fodit equus.
„ Hic mihi VEIXNERUS, caſto venerandus amore,
„ Excubias Chriſti pro grege paſtor agit.
„ Is perſæpe tuum tollebat ad æthera nomen,
„ Inque tuas laudes ingenioſus erat.
„ Ut *variis* ornes, dixit, tua pectora *linguis*,
„ Et quam ſis *Scripti dexter in omne genus.*
„ Concentus fidium ut poſſis movere canoros,
„ Seu *cythara libeat ludere*, ſive *cheli.*
„ Denique ut immenſo *virtutis* amore traharis,
„ Ut jungas mores artibus usque bonos. “

Cum autem annis creviſſet *Noſter* tam eas, quæ in *Germania* noſtra ſunt, quam *exteras* celeberrimas quasque Academias liberalitate parentis ſui munitus, inviſit; prout ipſe *Raphael* rurſus in præfata *Dedicatione* narrat, & laudatus a me BALTICUS memorat ſequenti *Carmine* longiore quidem, attamen in rem præſentem apprime faciente:

„ Ergo bonis avibus, noſtri non immemor, ito,
„ *Gallica*que hinc longe diſſita regna pete.
- - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - -
„ Quam *Tiguri* celſam tacitus miraberis urbem,
„ Plurima quam cernes non tibi viſa prius.

„ Hic

„ Hic tibi GESNERUS ſocio jungetur amore,
„ Cujus habet cunctos *Bibliotheca* libros.
„ - - - - - - - - - -
„ - - - - - - - - - -
„ Hinc abiens cernes in aprico mœnia colle,
„ Quæ primo *Plancum* conſtituiſſe ferunt.
„ Hic *Araris Rhodano* leno ſe flumine miſcet,
„ Ex uno fluvii qui duo monte cadunt.
„ Inde ſed accedes dictam de monte *Gebennam*,
„ Gens ubi de ſummis rupibus ima videt.
„ Hic vada piſcoſi mirabere cana *Lemanni*,
„ Quem rapidis *Rhodanus* perfluit altus aquis.
„ Poſtremo *Biturix* cernes quam condidit urbem,
„ Quæ tenet auctoris nomen adepta ſui.
„ Hæc eſt meta viæ, tota quam mente petiſti,
„ Ad quam ſudavit pectore anhelus equus.
„ Hic *leges* diſces vivis e fontibus hauſtas,
„ *Civica* pro trepidis *arma*que ferre reis. "

BALTICO ſuccinit *Joann.* MOIBANUS in *Epithalamio* græcis verſibus ſcripto, quo *Noſtri* nuptias condecorare voluit, & in quo claris verbis docet, *Noſtrum* non ſolum *Gallias*, ſed *Italiam* quoque animi optimis ſcientiis quibusque excolendi gratia adiviſſe: idque ita præſtitiſſe *Noſtrum*, ut in patriam reducem tum amici parentesque, tum municipes univerſi eximiis laudibus uno ore celebrarint.

Cum vero *Juris* maxime *prudentiæ* addiſcendæ ſeſe conſecraſſet, inter alia, in Gymnaſio *Patavino* ſub celeberrimo Legum Doctore *Marco* MANTUA *Benavidio* ei diſciplinæ operam maximam impendit; uti ipſe iterum in memorata *Dedicatione* indicat. Qua re factum eſt, ut domum poſtliminio repetens non tempus miſere contritum, non opes inutiliter turpiterque dilapidatas deflere cogeretur; ſed enim ex iis, quæ didicerat, tum ſibi conſule-

re quam optime, tum etiam alios adjuvare egregie valeret. Certe ex hac *Noſtri*, quam ſtudiorum ſuorum tempore adhibuit, permagna diligentia ortum habuit Opus egregium *Remiſſionum ſeu Relegationum Juris &c.* inferius *N°. III.* recenſendum; prout ipſe in ſæpius laudata *Dedicatione* profitetur, dicens:

„ Iis, quæ jam pridem in celeberrimis tum *exteris*,
„ tum *noſtris* quibusque Academiis inſtinctu, edu-
„ catione & liberalitate clariſſimi mei parentis *Ge-*
„ *ryonis*... collegi, in ordinem redactis antehac
„ *conſulendo*, nunc hactenus *judicando*, feliciter
„ uſus ſum: eaque nunc, amicorum impulſu, ami-
„ cis amice communico. "

Itinerum autem ſuorum, quæ eum eruditionis parandæ gratia maxime feciſſe conſtat, ſocium ac comitem habuit *Joannem Matthæum* STAMLERUM, gente patricia *Auguſtana* prognatum, Virum præclaris in patria honoribus auctum; donec ob exortas de *Calendario Gregoriano* lites e Senatu dimiſſus eſt (*). Hinc Noſter in *Carmine* prævio ad *Remiſſiones ſeu Relegationes Juris* de eodem ſequentia canit:

„ *Qui* varias mundi facies *luſtravimus una*,
„ Hos hominum generis novimus eſſe gradus.
„ *Notitia* hæc vetus eſt *Romanæ* priſtina ut *Urbis*,
„ Totius eſt *Orbis* talis imago ſimul.
„ Non ideo cunctos tibi mundi conſecro tractus,
„ Sed ſpeciem ut ſpeculi his intueare ſchedis (**).
„ Quæ

(*) De hoc Viro videndus *Paulus a* STETTEN, *ſenior*, in *Hiſtorie der Stadt Augſpurg*, *Tom. I. p.* 591. 659. 666. 682. 707. Dan. PRASCHIUS in *Epitaphiis Auguſtanis*, *Tom. I. p.* 149.

(**) Alludere videtur ad partem *quartam* ſui Operis: *Re-*

„ Quæ poſtremus habet paucis Contenta libellus,
„ Plura refert *viſis lectio magna locis.*
„ Amphiteathra magis *Roma*, o *Verona! Nemauſum!*
„ Integra habes, gradibus, ſed ſeparata magis.
„ - - - - - - - - - -
„ - - - - - - - - -

Sic multifariæ eruditionis ſubſidiis partis, & *Doctoris in utroque Jure* lauream reportans, in patriam reverſus eſt *Noſter*; in qua, de poſteritate paranda ſibi cogitandum putans, anno 1559. X. Calend. Octobr. matrimonio ſeſe obſtrinxit. Ei *epithalamium* græcis verſibus ſcripſit *Joannes* MOIBANUS Medicus tum *Auguſtanus*, haud dubie familiaritate ſingulari conjunctus Collegæ ſuo, *Gereoni* SAILERO, itidem Medico, parenti *Noſtri*: in eo tamen magnopere culpandus, quod nomen neo-nuptæ exprimere omiſerit.

Inter hæc percrebeſcente ingenii *Raphaelis* fama, ejusque doctrina in publicum divulgata, anno 1563. 17. Junii, nomine *Circuli Franconici* (*b*) *Judicii Cameræ Imperialis Aſſeſſor* conſtituitur; in quo munere honorificentiſſimo verſans, primus cum *Noſtro* MEURERO, J. V. Doctore & Conſiliario *Palatino*,

Remiſſiones ſeu Relegationes Juris, quam intitulavit: *Notitia Orbis & Romani Imperii.*

(*b*) Conſtat hoc ex Dedicatione *Tomi* II. *des Kayſerl. Kammer-Gerichts eröffnete Bey- und End Urtheil.* fol. 1572. in qua ait: „ Ich aber auch nunmehr *neun* Jahr der „ höchſten Juſticien im heiligen Reich an ſolchem *Kayſer-* „ *lichen Kammer - Gericht im nahmen des fränkiſchen Kray-* „ *ſes* . . . abgewartet.“ Hinc fallitur *Chriſt. Gottl.* JOECHER *in Gelehrten-Lexicon*, *Noſtrum*, primum anno 1570. *Adſeſſorem Cameræ imperialis* lectum eſſe, adfirmans. Conſule *Bibliothecam Rinckianam. no.* 5552 -- 5556. *Chriſtiani* BARTH *Urtheil und Beſcheid des Kayſerl. Cammer-Gerichts, fol. Tom. I.* in *Tabulis Perſonarum &c.*

tino, de rebus *Judicii Cameræ* ejusdem ſcripſit (*c*). At hac dignitate poſt novennium, anno 1572. ſcilicet, neſcio quibus de cauſſis, depoſita (Ita teſtatur *Bibliotheca Rinckiana*, *n.* 5552.) munus *Advocati & Conſiliarii* Reipublicæ *Wormatienſis* ſuſcepit; cui etiam ſub auſpiciis anni 1574. immortuus eſt.

Opera a *Noſtro*, typis excuſa, inveni ſequentia.

I. *Raphaelis* SAILERI *Auguſtani, Gerionis V. C. Filii*, *Primitiæ* (Carmina) *quas ab anno ætatis ſuæ XV. usque ad XVI. exaravit. Baſileæ*, *per Joann. Oporinum*, *menſe Novembri.* 8°. 1551. (*d*).

II. DEMETRII *Cydonii Oratio de contemnenda Morte.* HERMIÆ *philoſophi Irriſio gentilium Philoſophorum: ex Bibliotheca Jo. Jac.* FUGGERI *deſumpta*, *nunc græce & latine opera Raphael.* SEILERI *prolata.* 8. *Baſileæ*, *per Jo. Oporin.* 1553. 8°. (*e*).

Utrumque hoc Opus *primus* vulgavit *Noſter:* cujus opera uſi ſunt, quotquot poſt eum vel DEMETRIUM, vel HERMIAM vulgaverunt (*f*).

III. *Remiſſiones*, *vel*, *ut alii commodius dici arbitrantur*, *Relegationes*, *inſtar mercurialis ſtatuæ indicantes*, *quo*, *quique Textuum Juris civilis veri*, *perſpicui ſolidique intellectus*, *loco ultra ordinarias leges*

(*c*) Hoc laudis tribuit *Noſtro Jo. Andr.* FABRICIUS, in *Abriß einer allgemeinen Hiſtorie der Gelehrſamkeit*, 8. *Tom. III. p.* 497.

(*d*) V. *Mich.* MAITTAIRE *Annal. typograph. Tom. V. P. II. p.* 237.

(*e*) V. *Eundem*, *Tom. V. P. I. p.* 321. item EHINGERI *Catal. Biblioth. Auguſtanæ. fol.* p. 7. Confer *Catal. Bibl. Bünavianæ*, *Tom. III. p.* 65. 129.

(*f*) V. *Eliæ* EHINGERI *Catal. Bibl. Auguſt. p.* 779. *Jo. Alb.* FABRICII *Biblioth. græc. Tom. X. p.* 387. Confer novam Editionem *Operum S.* JUSTINI *Philoſ. & Martyr. Pariſiis* 1742. in *Præfatione*, *pag.* VIII. & *Joſ.* SIMLERI *Bibliothecam.*

ges a diverſis Doctoribus Juriſque Interpretibus traditi ac explicati ſint, in tres partes diviſæ: quarum prima (*juxta ordinem alphabeti*) *Legum, Pandectarum, explicationem in extraneis ac alienis locis apud Doctores oſtendit*: ſecunda, *ad ordinem titulorum Codicis accommodata, idem compendium Lectori præſtat*: tertia, *conſuetudinum feudalium enucleationes, apud varios Auctores diverſis in locis diſperſas, eadem ſerie continet.* IV. *Quibus adjuncta eſt Notitia Orbis & Romani Imperii multo locupletior & utilior aliis; qua non tantum magiſtratuum, officiorum ac dignitatum, tam civilium quam militarium, ſed & vera Reipublicæ inſtituendæ ratio continetur, cum Remiſſionibus, ex quibus deſumpta ſit Auctoribus, commonſtratione longe utiliſſima* &c. &c. in *folio. Francofurti ad Mœnum. M. D. LXXI.* In fine legitur: *Impreſſum Francofurti ad Mœnum, per Martinum Lechler, impenſis Hieronymi Feyerabends. Anno a nativitate Chriſti M. D. LXXI.* Titulum excipit Privilegium Cæſareum *Raphaeli* SAILERO conceſſum, *inferius* a me apponendum. Poſt hoc ſequuntur *tres* Dedicationes: *prima*, data 1570. 18. Decembr. *Spiræ*, ad Illuſtriſſ. Principem D. *Carolum*, Marchionem *in* BADEN *&* HOCHBERG &c. &c. cujus erga ſe pietatem benevolentiamque *Raphael* noſter prædicat: *ſecunda*, data *ibidem* 1571. die Epiphaniæ, ad Reverendiſſimum Principem D. *Marquartum*, Epiſcopum *Spirenſem* &c. &c: *tertia*, data *ibidem* 1570. 13. Decembr. ad Generoſos Dominos &c. *Georgium de* SEIN Comitem *in Wittgenſtein*, Præpoſitum majoris Eccleſiæ *Coloniæ*, & *Ludovicum de* SEIN, itidem Comitem *de Wittgenſtein* &c. *S. C. M.* in ſumma Imperii aula *a Conſiliis*, fratres germanos; in qua *Hieronymum* WOLFIUM Compatrem ſuum, & *Guilelmum* XYLAN-

DRUM concivem ſuum, ambos *amicos ſuos integerrimos* appellat. Subſequitur triplex *Carmen* Noſtri: *primum* ad D. *Hieronymum* MOSERUM ICtum, RR. Epiſcopi *Spirenſis*, *Marquarti*, Cancellarium, *Dominum & amicum*, *ut fratrem ſuum*: *ſecundum* ad D. *Martinum* AMELIUM in *Niefernburg*, Doctorem, *Caroli* Marchionis *Badenſis* Cancellarium, *Dominum & amicum*, *ut fratrem ſuum*: *tertium* ad D. *Joan. Matthæum* STAMLERUM Senatorem, Legatum, Patricium *Auguſtanum*, *fratrem ſuum intimum*. His ſuccedunt *tres partes* Operis. *Quartæ* autem hanc Admonitionem præmiſit SEILERUS:

Ubicunque Authorem noſtrum allegatum deprehendes, ibi ſcito eſſe Georgium CODINENSEM *Græcum*, *nunquam antehac impreſſum*, *a nobis translatum*:.. *ubi vero* CONSTANTINUM *Imperatorem allegari videbis*, *eum noris eſſe*, *qui nullibi locorum adhuc excuſus a Baptiſta* EGNATIO *commendatur* (fors legendum *commendatus*)... *proxime & græce & latine noſtra verſione prodibit.*

Iteratis typis anno 1574. prodiit hoc Opus, uti teſtatur *magnum Lexicon Lipſienſe*, v. SEILER. mutato pauliſper titulo: *Collectaneorum*, *ſeu Remiſſionum Juris civilis abſolutiſſimum Corpus* &c. Confer *Chriſt. Gottl.* JOECHER *Allgemeines Gelehrten Lexicon*, 4. & *Mart.* LIPENII *Bibliothecam juridicam*, *fol. p.* 77. (g). Neque vero putes, benigne Lector! totam hujus Operis laudem *Noſtri* eſſe, quam nec ipſe ſibi tribuere voluit, candide profitens in *Dedicatione* ad *Marquartum* Epi-

(g) Vide *Mart.* LIPENII *Biblioth. juridic. pag.* 325. *Joann.* CLESSII *Catalogum*, *p.* 240. *Bibliotheca Rinckiana.* 8. *Lipſiæ. no.* 940. *Thomæ* HYDE *Biblioth. Bodleiana*, *Vol. II. p.* 154. Extat in Bibliotheca Collegii quondam *Societatis Jeſu*, *Auguſtæ.*

Epiſcopum *Spirenſem* : *Jam, ne cuiquam ſcienter fiat injuria, lubens auctorem* juridicarum harum Remiſſionum, *ſi quicquam certum haberem, nominarem* ; *illuſtriſſimæ tamen* SOCCINORUM *familiæ magna ex parte reliquias eſſe, hæſitandum non eſt : unde nihil imprudenter effutiendum ſtatuo. Diſcipulum enim* ALCIATI *ſeſe paſſim nuncupat : Recentioris autem ætatis multa acceſſiſſe, probat acutiſſimi mei Præceptoris D. Marci* MANTUÆ *Patavini allegata ſparſim auctoritas. Sed nec ipſemet ego inficias ire debeo, quæ ex* Jure canonico, Tractatibus, Repetitionibus, Zaſio, & aliis recentioribus *inſerta ſunt*, opera mea acceſſiſſe. *Sint porro, qualiacunque velint, ex officina doctiſſimorum virorum prodeuntia* (*quorum ſi quis nomina norit, hiſce fideliter abſque livore aſſignet*) ad me propriis impenſis non exiguis translata, *nunc omnium judicio ac uſui... exponi, res ipſa per ſe loquitur...* De reliquo ad edendas has *Remiſſiones* anſam ſibi præbuiſſe non vulgarem *Robertum a* STOZINGEN, & *Hartmannum Hartmanni ab* EPPINGEN, illum *per octo*, hunc *per duodecim in Camera ſacratiſſimi Numinis noſtri celeberrimi Senatus... honoratiſſime degentes*, in eadem *Dedicatione* ad *Marquartum*, affirmat *Noſter*.

IV. *Des Kayſerlichen Kammer-Gerichts eröffnete Bey- und End-Urtheil : Selectiſſimæ ſententiæ in ampliſſimo ſummoque ſacræ imperialis Cameræ Judicio publicatæ.* in *folio*, *Tomi II. Franckfurt am Mayn.* 1572. *Tomus* I. complectitur *Sententias* ab anno 1495. ad annum 1547. incluſive. *Tomus* II. *Sententias* ab anno 1548. ad annum 1570. incluſive editas comprehendit. *Tomum* I. dedicavit *Noſter* anno 1572. 6. Januar. *Danieli* Archiepiſcopo *Moguntino*, cujus gratiam benevolentiamque tum in Comitiis Imperii annis

1566. & 1570. habitis, tum etiam prius ſeſe expertum eſſe ſæpius, grato animo profitetur. *Tomum* II. *Noſter* anno memorato 1572. 24. Februarii omnibus univerſim *Circuli Franconici* Principibus, Epiſcopis, Comitibus &c. &c. in grati animi teſtimonium ſacravit. *Tomo* I. præmittuntur 1°. Effigies *Raphaelis* noſtri hac epigraphe ornata:

„ Pluribus ingenio qui notus, imagine paucis
„ Ante fuit; *Raphael* hic modo totus adeſt.
„ Muta repræſentat faciem pictura, loquentes
„ Dona ſed oſtendunt interiora libri.
„ Quos trifidum miſſos felici ſorte per orbem
„ Mirari pariter *Jus* & *Apollo* queunt.
„ Bella figura diu, monumentaque vivite bella,
„ His animum, ſed eâ lumina Lector alat. "

2°. *Compendioſum S. R. J. Cameræ imperialis totius Ordinationis Enchiridion per capita locosque communes generales, juxta ſeriem trium ipſius Ordinationis partium diſtributum* (*h*). Duos priores Tomos *tertius* eſt inſecutus anno 1573. teſte PUTTERO in Libro: *Litteratur des teutſchen Staats-Rechts*, *p.* 131. *Bibliotheca Rinckiana* vero annum impreſſionis aſſignat 1574. aitque, hunc *tertium* Tomum a Vidua *Noſtri* Senatui *Auguſtano* fuiſſe dedicatam.

Hoc ipſum Opus denuo vulgavit, adjecta *Continuatione*, *Chriſtianus* BARTH ſequenti titulo: *Urtheil und Beſcheid am hochlöbl. kayſerlichen Kammer-Gericht vom Jahr* 1495. *als daſelbſt angefangen, eröffnet durch Raphael* SEYLERN, *jezund aber continuirt durch Chriſtianum* BARTH. 5. *Theile. Speyr.* 1604. (*i*). Deducuntur autem in hac Editione *Sen-*

(*h*) Extat in *Bibliotheca FF.* VEITH, *Auguſtæ*. V. *Bibliotheca Rinckiana*. 8. no. 5551 - 5556.

(*i*) V. *Eliæ* EHINGERI *Catal. Bibl. Auguſt. p.* 313. PUTTERI *Litteratur des teutſchen Staats-Rechts. p.* 131.

Sententiæ camerales usque ad annum 1587. Aliam Editionem Francofurtenſem anni 1606. fol. recenſet *Martin.* LIPENIUS (*k*). De Præſtantia hujus Operis videri poterit *Bibliotheca Rinckiana* nº. 5552. & quos hæc citat, Authores.

V. *Neue Kammer-Gerichts Ordnung. Maynz.* 1574. (*l*). Opus poſthumum eſſe videtur.

Hi ſunt Libri, quos a *Noſtro* typis vulgatos comperi. At ſuperſunt alii, quos dare luci paraverat, impetrato in eum finem cæſareo Privilegio MAXIMILIANI II. dato *Spiræ*, anno 1570. 21. Auguſti, quod, ex parte ſaltem, hoc loco tranſcribere oportet ex Libro *Noſtri*: *Des K. Kammer Gerichts Bey- und End-Urtheile. fol.*

„ Cum honorabilis, doctus, noſter & Imperii ſacri fidelis dilectus *Raphael* SEILER... Nobis... expoſuerit, ſe aliquos ſua induſtria adauctos atque emendatos... Libros publicæ editioni tradere decreviſſe... Nos... prædicti *Raphaelis* SEILERI humilliſſimis precibus clementer aſſentientes ejusdem Opera, quæ ſequuntur, nimirum: *Georgii* CODINENSIS *Deſcriptionem de Dignitatibus Imperatorum conſtantinopolitanorum, Officiis, Feſtis ſolennibus in Palatio ibidem receptis: Item de Coronatione Imperatoris, Electione Deſpotæ, hyperſebaſti Patriarchæ, Aſſiſtentia Venetorum, Genuenſium, Piſanorum, & aliis. Item Cameræ noſtræ imperialis, Judicii & Prætorii cæſarei, ejusdemque Perſonarum Catalogum. Selectiſſimas*

M 5 „ *Sen-*

(*k*) *In Biblioth. juridica*, p. 50. Confer, ſi lubet, novam Editionem hujus *Bibliothecæ*.

(*l*) *Mart.* LIPENII *Bibl. juridica*, p. 50. *Jo. Andr.* FABRICIUS in *Abriſs einer allgemeinen Hiſtorie der Gelehrſamkeit*, *Tom. III.* p. 521. *Thomas* HYDE *Biblioth. Bodleiana*, *Vol. II.* p. 159.

„ *Sententias. Librum Remiſſionum juridicarum in* „ *Pandectas ordine Legum alphabetico; in Codicem ac* „ *Feuda juxta Titulos. Georgii* PISCINI quoque „ nunquam antehac ullibi excuſum *Repertorium al-* „ *phabetica itidem ſerie ſuper Doctores Juris &c.* „ Privilegio noſtro . . . donamus. "

Dabis veniam, Lector! ſi te ſuper his paulisper adhuc detineam. Quid de *Georgio* CODINO actum ſit, docet nos *Jacobus* GRETSERUS (*m*) dum, in *Proœmio* ad eundem Auctorem, *Franciſci* JUNII nogligentiam incuſans ait: „ Merito tamen culpan- „ dus eſt JUNIUS, quod novam editionem non ad- „ ornarit, & a ſe pleno ſacco ſparſos errores non „ correxerit, adjutus Codicibus Bibliothecæ *Pala-* „ *tinæ*, & *Raphaelis* SEILERI exemplari, quod „ erat apographum optimi Codicis *Auguſtani*; nam „ CODINUM olim fuiſſe in Bibliotheca inclytæ Rei- „ publicæ *Auguſtanæ*, teſtis eſt WOLPHIUS, præ- „ fatione ad NICETAM, & ipſe SEILERUS, qui in- „ de *græce deſcripſit & latine vertit*; tametſi *Ver-* „ *ſionem ſuam in vulgus exire nunquam permiſit.* "

Cameræ imperialis, Judicii & Prætorii cæſarei, ejusdemque Perſonarum Catalogus mihi hactenus in nulla vel Bibliotheca, vel Bibliographo occurrit; niſi forte iſte *Catalogus* ſit idem unumque cum *Tabulis Perſonarum Cameræ &c.* quas *Chriſtianus* BARTH usque ad ſua tempora continuatas præmiſit *novæ Editioni* ſelectiſſimarum *Sententiarum* ejusdem *Cameræ* a ſe anno 1604. adornatæ: qui tamen ne verbulo quidem monuit,utrum *Noſter* in concinnandis his *Tabulis* partem habuerit, necne? De *Georgii* PISCINI *Repertorio &c.* autem hucusque nihil omnino invenire potui, ut credere fas ſit, neque hoc a *No-*

(*m*) V. *Georg.* CODINUM a GRETSERO editum, in *Proœmio.* Confer, ſi lubet, *Corpus Hiſtoriæ Byzantinæ.*

a *Noſtro* in lucem editum eſſe. Quod ad *ſeleCtiſſimas Sententias* & *Remiſſiones juridicas in Pandectas &c.* attinet, ſuperius *N°* 3. *&* 4. habes.

Sed de Operibus, quæ meditatus eſt *Noſter*, morteque nimis, heu! maturata præreptus, publici juris facere haud valuit, necdum ſatis. Ex iis, quæ ſuperius, *N°. III. Remiſſiones &c. &c.* dixi, conſequitur: *Noſtrum* de edendo CONSTANTINI *Prophyrogenetæ*, Imperatoris *conſtantinopolitani*, Opere *ad Romanum* filium quam maxime cogitaſſe. Quæ res ut clarius pateat, juvat ipſa *Noſtri* verba ex *Dedicatione* ad *Carolum*, Marchionem *Badenſem*, præfixa *Remiſſionibus ſeu Relegationibus Juris*, de quibus ſupra dictum eſt, hic apponere: „ *De cujus* CONSTANTINI, *Imperatoris conſtanti-* „ *nopolitani, auctoritate ac magiſtratu, quandoqui-* „ *dem* nullibi adhuc excuſus, *juſto volumine apud* „ *me*, Liber *aſſervatur*, *ac brevi luce, quam mere-* „ *tur, potietur. Si cui eſt adhuc ignotus, is Bapti-* „ *ſtæ* EGNATII, *ſummi viri, judicium de eo audiat:* „ Quod ab optimis litteris ac diſciplinis non abhor- „ rens eas pene extinctas ab interitu vindicarit; Li- „ brum hunc *Romano* filio, poſtmodum imperatori „ quoque, reliquerit, in quo ſummam totius im- „ perii, ſociorum omnium fœdera, hoſtium vires, „ rationes, conſilia explicuerit, quem ipſum EG- „ NATIUS in ſua Bibliotheca tanquam theſaurum „ ſervarit. “ Dicta hæc in *Dedicatione* ad *Georgium* & *Ludovicum de* SEIN, Comites in *Wittgenſtein*, iisdem *Remiſſionibus ſeu Relegationibus Juris* præmiſſa, ſequentibus confirmat: „ CONSTANTINI *Impe-* „ *ratoris*, LEONIS *filii*, craſſæ palmæ magnitudine Vo- „ lumen in folio ... e ruinis adhuc incolume, *penes* „ *me ſupereſt. Fiet autem, ut id, ... ut neceſſari-* „ *um, ita quoque optatiſſimum, Viris litteratis ali-*

„ *quan-*

„ *quando , ut in antecedenti Præfatione paucis attigi,* „ *acceptum futurum ſit*... “ Hunc CONSTANTINI Librum noſtro ſæculo edidit *Anſelmus* BANDURUS, Monachus Congregationis *Melitenſis, Pariſiis.* 1711. in *Tomo I. Imperii Orientalis* , qui tamen neque *Raphaelis* , neque *Verſionis* ab eo adornatæ , vel verbulo meminit. Interim ex allatis quivis facile colliget , *Noſtro* mirum antiquitatis amorem , ſubtileque in libris ac limatiſſimum judicium fuiſſe : eumque , ſi per ipſum ſtetiſſet, viris longe doctiſſimis ævi poſterioris , uti *Jac.* GRETSERO , *Anſ.* BANDURO , palmam prærepturum fuiſſe ; adeo ut pronunciatu difficile ſit : an iis , quos edidit , an vero , quos editioni paraverat , Libris major dici debeat.

STABIUS (*Petrus*)

Viri hujus mentionem facere duplici de cauſſa lubet quam maxime : & quod ad *Auguſtanos* Scriptores aliquo modo pertinere cenſeatur : & quod ab ECHARDO ac QUETIF , diligentiſſimis ceteroquin ad inveſtigandos *Scriptores Ordinis Prædicatorum* Viris , penitus omiſſus , immerita oblivionis caligine involvi videatur.

Vocat ſe *Noſter* in *Opuſculo* inferius recenſendo *Bambergenſem Laureatum* ; quibus verbis quid ſibi vere velit , haud probe ſcio : an eſſe ſe patria *Bambergenſem* , de quo haud dubito ; an *Poëtam laureatum* , quod vix malim ; an potius eſſe ſe *Baccalaurei* dignitate decoratum , quod ipſum ferme præplacet. Dum vero ſe *Lectorem* , uſitato inter ſuos vocabulo , *apud F. Prædicatores Auguſtæ* nominat, ſatis (puto) indicavit , ſe ſacræ *D. Dominici* familiæ adſtrictum fuiſſe , & in Conventu ejus Ordinis *Auguſtano* docuiſſe. Jam ad ipſum *Opuſculum* , quod a *No-*

a *Noſtro* vidi in Bibliotheca Collegii quondam *Societatis Jeſu*, anno 1784. in Codice ſignato: *Varia.R.VI.4.*

Hiſtoria Triumphi Filii Dei aſcendentis ad cælum, carmine ſcripta... Auctore Petro STABIO *Bambergenſe L. Lectore Auguſtæ apud F. Prædicatores. Anno M. D. LIX.*

Juvat hic apponere *Dedicationem* Libelli; tum quia auguſtiſſimo FERDINANDI I. Imperatoris, tunc in Comitiis Imperii *Auguſtæ* præſentis, nomine inſignitur: tum ut pateat, quanta *Noſtro* in ſcribendis verſibus facultas adfuerit:

Inclyto & Invictiſſimo Imperatori FERDINANDO, *Regi Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. &c. &c. - - - Petrus* STABIUS *Bambergenſis Laureatus, Lector Auguſtæ apud F. Prædicatores, fidele obſequium ac omne bonum.*

Vult Deus immenſi moderator & arbiter orbis,
Ut ſuus a nobis rite colatur honos:
Et divina pio dicantur carmine facta,
Percipiantque ſuum concelebrata decus.
Gratius hocque ipſi longe eſt, quam corpora centum
Taurorum valida magna ferire manu.
Nam mentem puram, laudes & poſtulat oris,
Dictaque gratanti carmina voce Deus.
Gnaviter hæc igitur præſtet, quicunque probatus,
Et cupit æterno carior eſſe Deo.
Impulit hæc eadem quoque me divina voluntas.
Feſtum agerem ut ſacro lætus honore diem:
Atque triumphalem celebrarem carmine pompam,
Cælica qua vectus Chriſtus in aſtra fuit.
Hoc autem, armipotens, carmen tibi nuncupo Cæſar,
Eximia præſtans Relligione Dei!
Ac oro, facilis noſtris conatibus adſis,
Vilia nec ſpernas, quæ tibi dona damus.

Sic

Sic præcelſa regat ſummi Te dextra Tonantis ,
Sic tibi det longa proſperitate frui.

Sequitur *Carmen* , CXVIII. *Diſtichorum* , deſcribens Chriſti Servatoris triumphalem in cælos aſcenſionem.

Quid vel ante vel poſthæc in litteris præſtiterit STABIUS, quemve vitæ curſum habuerit, dicere nequeo : dumque horum notitia omni deſtituor, ea me re conſolor, quod viri optimi memoriam penitus interire haud paſſus ſim.

THOMAS (*Corbinianus*)

Ad celebrandam *Corbiniani* noſtri, debitoque encomio ornandam memoriam mira animi promptitudine & incredibili alacritate aggredior ; tum quod ille, utpote qui ſe inſolitis ingenii dotibus : eruditionis copia, varietate, præſtantia : libris, in lucem editis, compluribus : denique vita propemodum omni, in celeberrima Univerſitate *Salisburgenſi* inter litterarios labores, jugesque docendi curas bono publico transacta, quam maxime commendabilem reddidit, hoc genere laudis multo digniſſimus eſſe videatur ; tum quod ejusmodi me ſubſidiis inſtructum ſentiam, quorum adminiculo id ipſum tuto a me accurateque fieri poteſt : poſtquam ſingulari Cœnobitarum *Elchingenſium* benevolentia Litteras encyclicas (*Rotulam* ipſi vocant, qua per ſancto fœdere juncta monaſteria Fratrum vita defunctorum obitum invicem ſibi nunciant) ad *Noſtrum* pertinentes communicato accepi : ex quibus ipſis mox dicendorum partem maximam decerpturus ſum.

Primam lucem aſpexit *Noſter Auguſtæ*, ipſe auguſtum patriæ decus futurus, anno a Virginis partu MDCXCIV. die 24. Septembris, genitus patre

Docto-

Doctore medico, inque fonte luſtrico nomen *S. Franciſci Seraphici* ſortitus. Hic, cum id ætatis conſecutus eſſet, qua pueri optimarum artium præceptis inſtitui ſolent, Patribus *Societatis Jeſu* traditus, in Athenæo patrio ad humaniores diſciplinas contentione tanta incubuit, ut eas, pædagogi vix indigus, de ſe ipſe omnes addiſceret. Hac ratione animo optimis liberalium artium ſcientiis exculto, ad ſeveriora progrediens ſtudia *Dillingam* ſeſe contulit, inque ea Univerſitate longe maximam Philoſophiæ operam impendit, adeo ut non tam auditorem, quam profeſſorem agere, & *Repetitor publicus* conſtitutus docendi munus, quod tota vita ſecutura obiturus erat, prælibare videretur, ingenii ſic ſui excellentiam amplitudinemque omnibus, non ſine maxima ſui nominis commendatione, teſtatam faciens. Quemadmodum autem humanis cognitionibus ingenium ornare neglexit minime, ita etiam mentem ad divina convertere nequaquam intermiſit; hinc ſanctiori captus ſtudio *Elchingam* propero curſu contendit, ibi divino ſeſe ſervitio ſub regula *S. Benedicti* totum mancipaturus. Neque ſperatis excidit *Noſter*; nam *libris, queis ſtipatus incedebat, pro ariete uſus* haud difficulter ſibi aditum, doctrina juxta ac pietate ſuccollantibus, patefecit. Itaque tyrones inter admiſſus veteranæ mox virtutis indicia præbere & ad perfectionis culmen eniti viſus eſt, poſitisque rite vitæ religioſæ rudimentis ſolennia Deo vota anno 1715. die divinæ Matri in cælos aſſumptæ ſacra nuncupavit. His probe decenterque geſtis, jam ſacratiores anhelans Muſas, ut ex *Hiſtorico*, *Poeta*, *Rhetore* fieret *Theologus*, iſtius ſcientiæ arcanis rimandis omnes nervos intendit. Sed biennio elapſo, cum domeſtici parietes capiendæ *Corbiniani*

ni noſtri vaſtiſſimæ eruditioni impares, nimiſque anguſti viderentur, *Salisburgum*, celebratiſſimum illud per Germaniam ſcientiarum emporium, eſt ablegatus: ubi altero, quod reſtabat, biennio transacto curſui theologico eum finem fecit, ut, Theſibus publicis ſumma cum laude propugnatis, abs cunctis cathedra haberetur digniſſimus; uti teſtatur *Elogium*, quod *Salisburgo Elchingam* rediens ſecum detulerat.

Minime vana aut inania hæc præconia fuiſſe, ſat celer exitus comprobavit; vixdum enim, monaſterio ſuo redditus, Candidatos *rhetorices* eloquentiæ præceptis erudire, vixdum *Neo-philoſophis* ſummulas, quas vocant, *ex memoria dictare* cæperat: cum jam cathedras ei ſuas *Salisburgenſis* Univerſitas obtulit, uti, ex mox dicta periclitatione, de doctrina *Noſtri* dotibusque præclaris certa, ita de bono optionis ſuæ eventu plane ſecura.

Salisburgum igitur, jubentibus Superioribus ſuis, denuo profectus *Noſter*, & in locum *P. Mauri* KREMP, quem anno 1721. mors e vivorum numero rapuerat, ſuffectus, ſtatim *Matheſin* (*a*) docere aggreſſus eſt: qua in re illud plane inſolens extitit, quod, etſi *Noſter* mathematicas diſciplinas horis tantum ſubſecivis & tempore a ſtudii theologici laboribus vacuo, inſuperque de ſe ſolus addidiciſſet, novus *Pherecydes* autodidactus; tales in ſcientia iſta progreſſus fecerit, ut non ſolum *exactam rerum mathematicarum cognitionem* ſibi paraverit (*) ipſe, ſed etiam eam partiri cum auditoribus, orbemque litteratum egregiis, ad eam diſciplinam pertinentibus, ingenii fœtibus locupletare value-

(*a*) V. *Hiſtoria Univerſit. Salisburgenſ.* 4o. 1728. *pag.* 333. ZIEGELBAUER & LEGIPONT *Hiſtoria Rei litterar. Ord. S. Benedicti*, *Tom. IV. p.* 304.

(*) Ita teſtatur *Hiſtoria Univerſ. Salisburg. l. c.*

valuerit ; id quod infra clarius patebit, ubi de Operibus a *Corbiniano* vulgatis dicam.

Poſthæc *Theologiæ* placita per octennium explanare juſſus arcana Divinitatis mirum in modum elucidavit ; cumque incredibili ſciendi aviditate teneretur (Hæc eum jam prius ad plures plurium diſciplinarum magiſtros audiendos, ad profanas etiam ſcientias quasvis, uſui ſibi futuras quas credidit, addiſcendas incitarat , adeo ut ipſi uni ſufficere diſciplinæ omnes haud viderentur) inter alia plurium linguarum cognitione ſtrenue parta id eſt conſecutus, ut haberet, quod in Univerſitate *Salisburgenſi* primo doceret, *primus Linguarum Profeſſor* inſtitutus.

At nondum ſatis ! Ut per omnes, quas ſummas atque abſtruſiſſimas eſſe cognoſcimus, diſciplinas iret *Noſter* , easque cognitionum ſuarum ſplendore exornaret, *S. Scripturæ* interpres electus ſubtiliſſima quæque acutiſſime ventilavit, intricatiſſima quæque feliciter enodavit , obſcuriſſima quæque apertiſſime illuſtravit. *Theologiæ* adhæc, quæ a controverſiis Fidei in ea enucleari ſolitis *polemicæ* nomen accepit, elementis tradendis complurium annorum ſpatio intentus , ita in eo negotio ſe geſſit, ut cum ſingulari veritatis amore ſingularem quoque animi moderationem lenitatemque conjungeret, & errores perſequens , errantium animos nequaquam offenderet.

Ut vero liquidius pateat, quæ hactenus dicta ſunt , veriſſime dicta eſſe , ipſum ſuis eadem verbis confirmantem, in *Præfatione* ad TERTULLIANUM *de Baptiſmo & Pœnitentia* audiamus: *Cum Theologia* dogmatico - ſcholaſtica , *tanquam Religioni chriſtiano - catholicæ tuendæ roborandæque multo validior, ac modernis præſertim temporibus accommodatior, jam*

ab Anno MDCCXLII. publico Celſiſſimi ac Reverendiſſimi Archiepiſcopi & S. R. J. Principis Leopoldi FIRMIANI *pientiſſimæ mem. Decreto de die* 3. *Novembr. in hanc Univerſitatem intromiſſa , & a ſummeſati digniſſimis ſucceſſoribus Andrea Jacobo* DIETRICHSTEINIO *par. mem. An. MDCCLI. die* 22. *Jun. denuo ſancita , ipſoque moderno Hierarcha noſtro Sigismundo* SCHRATTENBACHIO (*cui Deus porro felix regimen , annosque plurimos !*) *An. MDCCLIII. die* 22. *Aug. &* 19. *Nov. clementiſſime confirmata , a nobis conſtanter retenta , ſenſimque amplius exculta fuiſſet , ab ipſo mox initio fontes diſcentibus nonnihil uberius recludi cœperant. Quare præter* Locos theologicos , *qui per ſingulos annos tyronibus rite inſtituendis etiamnum prælegantur , adjuncta quoque fuit ipſius* S. Scripturæ *expoſitio , & continuo quidem capitum , verſuumque ordine : notatæ præterea , ac , quantum per temporis brevitatem licuit , explanatæ difficultates , inter interpretes controverſæ ; quibus denique acceſſit locorum magis illuſtrium ad* Oratoriæ ſacræ *uſum , poſt ejusdem præcepta rite tradita , accommodatio. Poſtquam vero* Græcæ *quoque , &* Hebraicæ *linguæ elementis rite imbuti fuiſſent reliquis ſolertiores quidam diſcipuli , ex utroque deinceps fonte SS. Scripturarum explanatio jam ab altero anno , haud ſine optato ſucceſſu , adjuncta fuit. Supererat igitur , ut in ipſorum quoque* Patrum *lectionem introducerentur , propterea quod ea , Clericis præſertim ; in omnem deinceps ætatem ſumme proficua ac delectabilis futura eſſet. Itaque nunc* TERTULLIANUM denuo *aggreſſi ſumus...*

Poſtquam vero plura ſubjeciſſet , quibus ſuas in TERTULLIANUM *Notas* a Criticorum cenſuris tueretur , in hæc verba pergit *Noſter*: Hebraica *autem &* Græca *multoties me interſeruiſſe , quis æ-*

quus

quus vitio dabit? Hoc enim a plerisque aliis factum pridem invenio .... Denique ... adjungere decreveram Librum de Oratione *ut trigam eorum, quæ certo catholicus adhuc ſcripſit* TERTULLIANUS, *haberes; verum quoniam ſumptus non, in mea ut voluntate, ſic poteſtate, habui, præſtabat ſane biga contentum eſſe...* Hucusque THOMAS noſter.

Cum autem in Parnaſſo *Salisburgenſi*, atque in hoc ſcientiarum ac laudis curriculo ſex & quadraginta annos continuos ille impigre deſudarit, dici minime poteſt, quantam Antiſtitum geſtandis digne infulis, quantam Doctorum cathedris laudabiliter conſcendendis, quantam denique præclarorum Virorum rei publicæ juvandæ & promovendæ plurimorum utilitati copiam egregiis ſuis præceptionibus aptarit. Hoc vero quadraginta ſex annorum tempore tum *Vice-Rectoris*, tum *Pro-Cancellarii* academici dignitatem, hanc 26. annos, illam 30. adeo annos, ita ſuſtinuit, ut maxime dubium ſit, an major ab ea dignitate *Corbiniano*, an vero dignitati a *Corbiniano* honor acceſſerit. Hæc de doctis *Noſtri* officiis, litterariisque honoribus dicta ſufficiant.

Verum ſunt alia quoque, quæ prædicari in *Corbiniano* convenit. Fuit is ſingulari eloquentia præditus; hinc, ne hominum ingenia tantum excolere, animos eorundem negligere videretur, *ſacro ſuggeſtu* conſcenſo tanta facundia, tanta ſuavitate, &, ubi res poſtulabat, acrimonia ac vi tanta peroravit, ut ei ab omnibus plauderetur; ut, eo dicturo, certatim prærepta in templis ſubſellia, quanta cum aviditate audiretur, aperte declararint; ut Princeps & Archiepiſcopus ipſe a ſacris *Noſtri* ſermonibus abeſſe nunquam, immo primus ſemper adeſſe ſtuduerit. Fuit *Noſter* in *Conſiliis* dandis ea

gravitate, dexteritate, prudentia, ut opinionum inter ſe diſcordantium tumultus ſuo interventu ſedarit; ut reſponſa ſua, veluti totidem oracula, grato animo ſuſcipi viderit. Fuit præterea morum comitate & elegantia mira: fuit humilitate, charitate, aliisque virtutibus maxime clarus; ſed iſta, quod ad præſentis Operis mei inſtitutum minus attinere videantur, longius hoc loco perſequi haud juvat. Qua de re ad ingenii documenta, quæ *Corbinianus* poſt ſe moriens reliquit, enumeranda progrediar, mox ubi de vitæ, quem is habuit, exitu paucis dixero.

Deceſſit *Noſter*, plenus dierum, plenus laudis, maximo ſui deſiderio relicto, anno MDCCLXVII. 15. Junii, hora pomeridiana prima, *Salisburgi*, hydrope extinctus pectorali; poſtquam inter homines 73. inter Religioſos 52. denique inter ſacerdotes 48. annos vixiſſet.

Opera *Corbiniani*, quem *librorum helluonem & ſcientiarum portentum* haud immerito ſuperius memorata *Rotula* appellat, hucusque a me inveſtigata ſunt ſequentia:

I. *Erotemata mathematica* varia, quibus *Ephemerides Salisburgenſes* comitari atque ornare conſuevit. (*b*)

II. *De Quæſtione ſuper celebrando Paſchate MDCCXXIV. inter Catholicos & Acatholicos exorta.* 1724. (*c*)

III. *Prodromus Mercurii philoſophici de præſtantia, utilitate, methodo &c. Studii experimentalis phyſico-mathematici differens. Ad Leopoldum Anton.* Eleu-

(*b*) V. *Hiſt. Univerſ. Salisburg. l. c.* ZIEGELBAUER & LEGIPONT *Hiſtor. Tom. IV. p.* 304.

(*c*) V. *Hiſt. Univerſ. Salisburg. l. c.*

Eleutherium de FIRMIAN, Archiepiſcopum *Salisburgenſem.* 12°. *Salisburgi.* 1728. *c. fig.* (*d*) Hoc opuſculo *Noſter* proluſit *Phyſicæ experimentali,* quam meditabatur edere.

IV. *Firmamentum* FIRMIANUM *ſeu Manuductio ad globum artificialem cœleſtem.* 8°. *Auguſtæ Vindel.* 1731. *cum plurimis figuris.* Nuncupavit Cl. Author hunc Librum memorato Archiepiſ. *Salisburgenſ. Leopoldo* ex proſapia FIRMIANA oriundo, inde etiam, illum ſpecioſo *Firmamenti* FIRMIANI nomine inſigniendi, occaſionem ſumens. Opus hocce non ſolum *Oliverius* LEGIPONT, qui, poſt *Magnoaldum* ZIEGELBAUER, *Hiſtoriam Rei litterariæ Ord. S. Benedicti* ſuccedaneis curis abſolvit, *elegantiſſimum, Tomo IV.* laudatæ *Hiſtoriæ*, *pag.* 311. voc ..; ſed etiam *Actorum Lipſienſium* eruditi Editores dignum cenſuerunt, quod prolixiori ſermone (*e*) deſcriberent; quorum judicium ſi hoc loco attulero, rem nequaquam incongruam, ſed enim, ni fallor, famæ *Noſtri* ac gloriæ maxime utilem fecero:

„ Quæ doctiſſimus Auctor hoc Libro complexus eſt, „ nova quidem non ſunt, ſed utilia tamen, idoneo„ que ordine & plano ſermone in uſum tyronum „ congeſta. Doctrinam ſcilicet omnem, quam ſphæ„ ricam dicere ſolemus, *tribus capitibus* abſolvit; „ quorum *unum* punctorum ac circulorum cæleſti„ um explicationem tradit: *alterum* problemata plu„ rima, quæ ſolvi ope globi artificialis cæleſtis poſ„ ſunt, itemque alia nonnulla, cum his connexa, „ dili-

(*d*) V. *Eandem l. c.* ZIEGELBAUER & LEGIPONT, *l. c. p.* 304.

(*e*) V. *Supplementa ad Nova Acta Erud. Lipſienſ. Tom. I. ſect. VII. p.* 308.

„ diligenter perſequitur: *tertium*, ad exemplum „ Uronometriæ *Bayerianæ*, accuratam Aſteriſmo- „ rum faciem, facta motuum ad A. 1730. reductio- „ ne, ſiſtit, ac demum earundem imaginum ori- „ ginem partim e Græcorum fabulis aut hiſtoriis re- „ petit. Huic tractationi, quæ maximam certe „ partem *capitis tertii* conſtituit, duæ aliæ præmiſ- „ ſæ ſunt *ſectiones* de ſyſtematibus mundi & plane- „ tis. In ſectione, quæ agit de ſyſtematibus mun- „ di, primo loco mentionem facit Author, cæli „ ægyptiaci, domosque & imagines aſtrologico- „ hieroglyphicas, ex veterum *Aegyptiorum* mente „ cælo inſertas, cum KIRCHERO exponit, ac po- „ ſtremo ita ſtatuit: ſignorum noſtrorum, quibus „ aſtronomi etiamnum utuntur, characteres ma- „ nifeſtam ex hieroglyphicis illis figuris originem „ ducere, earundemque perſpicuam ſimilitudinem „ circumferre; quin & noſtros, a *Græcis* profe- „ ctos, Aſteriſmos illis *Aegyptiorum* numinibus „ non obſcura affinitate jungi, nec dubitandum „ eſſe, quin forma mundi ægyptiaci proportione „ ſumma gaudeat, ut merito abſolutiſſimum totius „ hieroglyphicæ doctrinæ compendium, miris re- „ fertum myſteriis, dici poſſit. Quod ad ſyſtema „ *Copernicanum* attinet, non probat præproperum „ illorum judicium, qui COPERNICUM nunc delira- „ re clamant, nunc illius ſenſa inter aniles fabulas, „ pueris ridendas, explodunt, ipſi interim a *Coper-* „ *nicanis* riſu, quandoque non immerito, excepti: „ nec dubitat, ut nunc non pauci e Romano - Ca- „ tholicis ſunt, qui ſyſtema illud per modum hy- „ potheſeos aſtronomicæ propugnant; ita multo „ plures fore, qui idem ut verum ſyſtema ample- „ cterentur, niſi longe altior ac fortior Fidei ac „ Eccleſiæ obſtaret auctoritas. "

V.

V. *Jus Naturæ & Gentium theologice deductum.* 4. *Salisburgi.* 1737. (*f*) Hoc ſingulari omnium admiratione exceptum fuiſſe, declarant phraſes in ſæpius dicta *Rotula* occurrentes.

VI. *Tractatus de Officio hominis ad Deum. Salisburgi.* 1740. Liber teſte *Oliverio* LEGIPONT (*g*) inter præſtantiora Opera aſcetica reponendus.

VII. *Septimii Florentis* TERTULLIANI *Liber de Præſcriptionibus adverſus Hæreticos.* 8. *Salisburgi.* 1752. Hunc, *Notis* eruditiſſimis illuſtratum, a *Noſtro* litterariæ Reipublicæ datum fuiſſe teſtatur *Rotula*.

VIII. *Septimii Florentis* TERTULLIANI *Libri de Baptiſmo & Pænitentia Notis perpetuis illuſtrati in uſum Theologiæ Salisburgenſis Studioſorum.* 4°. 1755. *Salisburgi.* Adjecit *Noſter* tres perdoctas Diſſertationes. 1. *De auctoritate* TERTULLIANI. 2. *De affinitate Baptiſmum inter & Pænitentiam, Libri auctore, & Scripti tempore.* 3. *De recto uſu* TERTULLIANI. Adjeciſſet quoque, uti ſuperius dictum eſt, ſi per ipſum ſtetiſſet, TERTULLIANI *Librum de Oratione.* Ceterum *Noſtro* hunc fœtum, una cum ſequentibus tribus, adſcribit eadem *Rotula*.

IX. *Spicilegium theologicum de Eccleſia Chriſti. Salisburgi.* 1751.

X. *Introductio in Prolegomena Theologiæ dogmaticæ.*

XI. *Specimen ſcripturiſticum ex priori parte Geneſis.*

Hæc præter alia multa *Manuſcripta* præſtantiſſima reliquiſſe *Noſtrum* tradit ſæpius citata *Rotula*; quorum in numerum ſi *Manuductionem* quoque *ad globum*

(*f*) V. ZIEGELBAUER & LEGIPONT, *l. c. Tomo IV.* p. 265.
(*g*) V. *Eosdem, Tom. II. p.* 220.

bum artificialem terreſtrem, cujus ſpem *Noſter* orbi litterato in *Manuductione ad globum artificialem cœleſtem* (h) ſecerat, & *Phyſicam experimentalem*, de qua *No. I.* mentio incidit, adſcripſero, minime a vero aberrare me crediderim; cum hactenus comperire nullo modo quiverim, eam typis publicatam fuiſſe.

(h) V. *Supplementa ad Nov. Act. Erudit. Lipſienſ. l. c.*

UDALSCALCUS, Abbas.

Nobilis de *Maiſack*, *Auguſtæ* in dias luminis auras ſæculo XI. exeunte natus & a pueritia in Ordine *S. Benedicti* inſtitutus ad ſublime virtutis atque doctrinæ faſtigium pervenit. Fuit Vir incomparabilis; *Theologus* inſignis; inter doctiſſimos, & egregios Doctores merito numerandus; ſpeciale Ordinis *Benedictini* decus; antiquitatum rimator ſollertiſſimus; magnitudine, conſilio, gravitate præcellens; *Poëta* & *Muſicus* ſui ævi celeberrimus, vix ullis laudibus digne efferendus (a).

Cum adoleviſſet *Noſter*, in patrio ad *SS. Udalricum & Afram* monaſterio Regulam *S. Benedicti* profeſſus eſt; in quo vitæ ſtatu poſitus ita ad virtutem ſibi incumbendum eſſe putavit, ut ob id litterarum ſtudia minime negligeret. Certiſſimo doctrinæ ejus argumento ſunt, tum quæ ad nos usque propagata ſunt, tum quæ vetuſtatis ac temporum injuria penitus evanuerunt, ingenii monumenta:

(a) His laudum præconiis *Noſtrum* certatim extollunt *Sigismundus* MAYSTERLIN in *Chronico Auguſtano eccleſiaſtico*, apud *Joann.* PISTORIUM *Script. Rer. Germanic. Tom. III. p.* 675. *Caſp.* BRUSCHIUS in *Monaſteriol. p.* 137. *Corbin.* KHAMM in *Hierarch. Auguſt. P. II. collegiali, p.* 240 & *P. III. regulari, p.* 37. *Jo. Alb.* FABRICIUS in *Biblioth. Lat. med. & inf. Aetatis.* 4°. ZIEGELBAUER & LEGIPONT *Hiſtoria litteraria Ord. S. Benedicti, Tom. IV. p.* 315.

menta: quæ ipſa *Sigismundus* MAYSTERLIN Cænobita *San - Udalricanus* (*b*) ſuo jam tempore, medio nimirum ſæculo XV. aut ætatis ſquallore obtrita fugere legentium oculos, aut omnino abolita interiiſſe, pro merito vehementer conqueſtus eſt. Quin juvat illius effatum, etſi prolixius, hoc loco integrum apponere, ut liquido pateat, quantum ab eruditione commendari UDALSCALCUS noſter mereatur; cui cum inſignem is muſicæ artis peritiam apte conjunxerit, juſtas duplici nomine laudes tulit: „ Maximam peritiam habuit *Muſicæ,* prout ejus „ *Opuſcula* teſtantur, unde in ea arte inter præcipuos laudem obtinet: *Hiſtoriæ* hoc etiam ejus te„ ſtantur, dum & *diapente* & *diateſſaron* magna cum „ licentia utitur. Nam & *S.* AFRÆ totam *Legendam* „ ex ordine comprehendit tam Converſionis quam „ Paſſionis, incipiens: *Cum ſub Diocletiano* &c; „ ſimiliter almi Confeſſoris UDALRICI, incipiens: „ *Inclyta devotis colimus*, alligans tamen metro „ ad petitionem Epiſcopi *Conſtantienſis*, qui tamen „ *Cantus* a Legato apoſtolicæ Sedis confirmatus eſt. „ Compoſuit & ſingularem *Cantum* de *B. Maria* „ MAGDALENA ſuper verba *S.* GREGORII; quam ve„ nerabatur ſingulari affectu, unde & in choro „ *S.* UDALRICI ei altare inſtituit. Ingenii vero ſui „ veſtigia reliquit per totum clauſtrum, tam *metro* „ quam dulci *rythmo*, uſus aliquando *heroico* aſt „ lepido carmine; in quibus perpenditur ſæculari„ bus litteris eruditiſſimus fuiſſe. Super *Saluta*„ *tione angelica* figuris ad hoc aptis ornavit locum „ *Capituli*; tragico carmine *ſepulturas abbatum*, „ elegiaco *fratrum* circa introitum dormitorii, imi„ tatus PRUDENTIUM; dorſalia thori figuris, me-

N 5 „ tris

(*b*) In *Chronico* ſuo *Auguſtano eccleſiaſtico*, apud *Joann.* PISTORIUM, *l. c.*

„ tris *leoninis* additis. Ex reliquis in *arte punctandi* „ mihi videtur, quod *in trivio & quadrivio peritiſſimus* fuerit (*). Utinam eo tempore natus eſſem, „ quo vel prætacta hæc legere valuiſſem! Heu! Parum hinc inde ſparſim ſcripta ſunt de his: reliqua „ vetuſtate abolita; licet hodie partim videantur, ſi „ vita forsque ſavent, per me in alio loco latius ponenda. “ Hucusque *Sigismundus* in *Chronico auguſt. eccleſiaſt.* qui ipſe hæc paulo aliis verbis in ſuo *Indice Monaſterii SS. Udalrici & Afræ in Auguſta Vindelicorum* (*c*) effert, dicens: „ Maximam „ notitiam habuit *Muſicæ*, prout ejus *Opuſcula* teſtantur, laudemque in ea primam in *Hiſtoriis* & „ *Chronicis*: utiturque figuris & licentiis hujus artis mirifice. Nam & in ſuo *Cantu* de *S.* AFRA, „ in qua totam *Legendam* comprehendit in proſa: „ ſimi-

(*) Quid phraſis hæc: *in trivio & quadrivio*, ſibi velit, explicat *Jacob.* FACCIOLATUS in *Faſtis Gymnaſii Patavini, Tom. I. p X.* dicens: *Claſſis quoque altera, quæ* Artes *complectitur, Profeſſores ſuos habuit. . . Nam ut* a Grammatica *incipiam, ejusque fata altius repetam, ſola hæc ex omni artium ac litterarum ſtudio* Italicas *ſcholas tenuit ſæculis illis, quæ obſcura dicuntur, & ea quidem cœnobitarum & epiſcoporum ædibus concluſa vel paulo latius fuſa. Hac tamen voce ars & facultas omnis dicendi ac diſputandi interdum ſignificabatur, hoc eſt* Rhetorica *quoque &* Dialectica: *idque* Trivium *appellabatur. Acceſſit poſtea* Arithmetica, *quam* Computatoriam *vocabant, & ad vanum quendam divinandi uſum, qui mentes hominum occupaverat, etiam* Aſtrologia: *tum Religionis gratia ea* Muſicæ *pars, quæ in canendis divinis laudibus adhibebatur. Nec defuere, qui triplici huic ſtudiorum generi* Geometriam *quoque adjicerent; atque ii quidem, inter doctiſſimos habiti*, Quadrivium *tenere dicebantur.* Confer de eadem materia ZIEGELBAUER & LEGIPONT *Hiſt. litter. Ord. S. Bened. T. II. p.* 324.

(*c*) Aſſervatur hic *manuſcriptus* in Bibliotheca Cœnobii *San-Udalricani*, Auguſtæ.

„ ſimiliter in *S.* UDALRICI, quem *cantum* ad epi-
„ ſcopum *Conſtantienſem* fecit, metro ſæpius *diapen-*
„ *te* & *diateſſeron* inducit; quæ poſt a Sedis apoſto-
„ licæ Legato confirmata ſunt. Dilexitque præci-
„ pue *S. Mariam* MAGDALENAM; in cujus honorem
„ quasdam picturas, *Canticum*que ejusdem, quod
„ hodie per multas Eccleſias frequentatur, edidit.
„ Ingenii vero ſui veſtigia reliquit per omne clau-
„ ſtrum *metris* editis, interdum *heroico*, aliquando
„ *ſaphico* ſeu *aſtleydo*. *Tragico* etiam carmine ſe-
„ pulturas *fratrum* & *abbatum*, nec non & *dormi-*
„ *torii* introitum, *capitularem*que locum inſignivit;
„ *dorſalia* etiam *Chori* nec non & *vela quadrageſima-*
„ *lia leonino* ... metro. Ex quibus omnibus elici-
„ tur, quod fuerit vir etiam quadrivio & trivio pe-
„ ritiſſimus. Cetera de ſuis, vetuſtate ac negligen-
„ tia incolarum, abolita ſunt: aliqua per nos trans-
„ copiata: cetera aliquibus in libris in fine inſerta."

Hæc pauca ſunt, quæ de UDALSCALCI in re muſica ac litteraria meritis ſcripto tradita nobis reliquit MEYSTERLINUS, Auctor indigena & in hoc capite, quos novi, omnium antiquiſſimus: dolendumque profecto, tum hujus tum aliorum inſignium Virorum plurium egregia facinora aut non perſcripta curatius, aut, ſi perſcripta fuerunt, felicius haud fuiſſe ſervata.

Claruit ſub idem tempus, eodemque in monaſterio *B.* EGINO, loci Abbas laudatiſſimus, qui (ſi *Samueli* BASNAGIO fides (*d*) habenda eſt) initio qui-

(*d*) In *Henr.* CANISII *Lectionibus antiqq.* a ſe editis, *Tom. III. P. II. p.* 3. Cauſſa autem diſſidii hæc fuit, quod HERMANNUS Imperatoris potius, quam Pontificis, partes ſectaretur: Itaque a PASCHALI II. excommunicatus EGINONEM, a partibus Papæ ſtantem, graviſſime vexavit, *Auguſta* etiam in exilium expellens. Sed reſipuit poſtea

quidem *Hermanno* ex Comitibus *de* WITTELSPACH, epiſcopo *Auguſtano*, *amicitia conjunctiſſimus adhæſit*, poſtea vero graviſſima lite & controverſiis acerrimis ab eodem abſtractus eſt. Hinc cum multa in EGINONEM incommoda, triſtesque ærumnæ redundarent, UDALSCALCUS noſter, uti ſe (*e*) prius morigerum docilemque diſcipulum Abbati ſuo præbuerat, ita ſe eidem aſſiduum & ſeparari neſcium miſeriarum, exilii, itinerum, malorumque omnium comitem ac ſocium exhibuit: cumque memoratus EGINO *Roma* in *Germaniam* reditum meditans, graviſſima maris tempeſtate jactatus, *Piſis* lethali morbo decederet, oculos ei UDALSCALCUS pie clauſit. Sic filii erga patrem extremo functus officio, viam in patriam relegit, deferens *Litteras apoſtolicas*, & alias ab EGINONE *exhortatorias*, omnemque B. Abbatis vitæ periodum diemque extremam exponit. Inſtituta ſubin nova electione (*f*) Abbas eligitur WOLLEMARUS, cui poſt quinquennale regimen diem ſupremam obeunti, tandem anno MCXXVI. UDALSCALCUS noſter ſuccedit: etſi invitus, nec niſi apoſtolicæ Sedis Legatorum, *Præneſtini*, & *Aquenſis* Epiſcoporum, ac *Moguntini* Archiepiſcopi ſuaſionibus ad abbatialem dignitatem accipiendam commotus.

Præ-

ſtea HERMANNUS, vitæque prioris facta & excitatum ſchiſma multis egregiis facinoribus compenſavit. V. *Corb.* KHAMM *Hierarch. Auguſt. P. I. cathedr. p.* 197. *ſeqq.* ZIEGELBAUER & LEGIPONT *Hiſt. Rei litterar. Ord. S. Benedicti*, *Tom. IV. p.* 566.

(*e*) V. *Corbin.* KHAMM *Hierarch. Auguſt. P. III. regul. p.* 34.

(*f*) V. *Corbin.* KHAMM *l. c. p.* 36. item *P. II. collegiali*, p. 240. Hinc corrigendus *Samuel* BASNAGIUS, qui in *Henr.* CANISII *Lection. Tom. III. P. II. p.* 4. UDALSCALCUM EGINONI proxime ſuffectum eſſe, male ſcripſit.

Præfuit eximia cum laude complures annos, multa patrans egregia facinora, quæ hic recenſere ſuperſedeo; quod præſentis Operis inſtitutum hoc ſit, ea, quæ ſunt litteraria, narrare maxime (g). Rexit autem *Noſter* monaſterium annis 25. obiitque ſupremam diem anno MCLI. die 10. Martii. Vivus ipſe ſibi *epitaphium* ſequentibus verſibus ſcripſit:

„Mors animæ triplex, ſed in hoc eſt corpore ſimplex:
„Hic moritur vitiis, poſt rea ſuppliciis,
„*Tertio* damnatur, dum corpus ei ſociatur.
„Ergo manendo perit; *quod* male ſemper erit.
„Sed *tria* Juſtorum ſunt vitæ dona laborum,
„Spes, Amor & Species. Omnia, quæ Deus *es*.
„Hic dum ſperatur patriæ requies, & amatur,
„Illic percipitur, *qua* Deus aſpicitur.
„Viſio namque Dei ſummam confert requiei,
„Quæ dum fine caret, gaudia ſemper habet.
„Vos igitur, Patres! vos in Domino rogo, Fratres!
„Ut memores ſitis, quem cinerem teritis.
„Viva mei tranſit, pars vivificanda remanſit,
„Ut ſpes unius, vita ſit alterius.“ (h)

Opera *Noſtri* tum edita, tum inedita ſunt ſequentia:

I. *Narratio de Controverſiis inter* HERMANNUM *Epiſcopum Auguſtanum &* EGINONEM *Abbatem S. Udalrici*. Extat in *Henr.* CANISII *Lectionibus antiquis*, *Tom. II. Ingolſtadii.* in 4°. impreſſis; itemque in nova harum *Lectionum* editione a *Samuele* BASNAGIO adornata, *Tom. III. P. II. p.* 5. Subjicitur

(g) De UDALSCHALCI præclare geſtis videri poterit *Corb.* KHAMM P. II *colleg. p.* 240. & *P. III. regul. p.* 37.
(h) Servavit hoc nobis *Corb* KHAMM *Hierarch. Auguſt. P. II. colleg. p.* 241. Ego autem ex Protographo *Wilhelmi* WITTWER Cœnobitæ *San-Udalricani*, de quo inferius dicetur, illud nonnihil correxi.

citur huic *Narrationi* Carmen *Noſtri*, ſed in fine mutilum, *de Itinere & obitu* EGINONIS. Scriptam fuiſſe ab UDALSCALCO memoratam *Narrationem* circa annum 1122. ſcite probat *Caſimirus* OUDINUS, *Comment. de Scriptor. eccleſiaſt. Tom. II. p.* 1014. *Samuel* BASNAGIUS, dum mortem EGINONIS anno 1119. falſo alligat (obiit namque EGINO primum anno 1122.) diverſum ſentit, ſed male. Confer, ſi lubet, *Jo. Alb.* FABRICII *Bibl. lat. mediæ & infimæ Aetat.* item *Aub.* MIRÆI *Auct. de Script. eccleſiaſt.* BRUSCHII *Monaſteriol.* Omnino hic annotare debeo, *Wilhelm.* WITTWER Cænobitam *San-Udalricanum, Auguſtæ*, qui ſæculo XV. exeunte vixit ſcripſitque, hanc *Narrationem* non UDALSCALCO, ſed EGINONI ipſi (*Carmine* tamen, quod in ejus fine occurrit, excepto) attribuere; ſic enim in ſuo *Catalogo Abbatum Monaſterii SS. Udalrici & Afræ* ſcribit: *Porro omnem rei geſtæ ordinem usque ad illam horam, qua reddidit ſpiritum, ipſe vir ſanctus ac doctiſſimus* (EGINO) *in infirmitate poſitus luculentiſſime, ut in ejus monaſterio habetur, deſcripſit: reliqua vero, quæ dein contigerunt*, UDALSCALCUS *monachus, qui tertius ei ſucceſſit in regimine hujus loci, ſubnexuit; qui & epitaphium ei præclarum, atque dulciſſima hiſtoria ejusdem rei ſeriem revolvens, Epiſtolasque inſertas retinens, metrice compoſuit...* Dolendum certe, dictum *Wilhelmum* WITTWER, qui totam *Narrationem*, una cum *Carmine*, *Catalogo* ſuo inſeruit *pag.* 48. non habuiſſe, unde prædicti *Carminis* lacunam ſuppleret.

II. *Liber de Muſica.* Hunc *Noſtro* tribuunt *Caſp.* BRUSCHIUS in *Monaſteriol. p.* 137. & *Corbin.* KHAMM *Hierarch. Auguſtana P. II. colleg. p.* 240. *Jo. Alb.* FABRICIUS in *Biblioth. lat. m. & i. Aetatis*, aliique.

III. *Vita S.* ADALBERONIS, *epiſcopi Auguſtani.*

ni. Hanc a *Noſtro* ſcriptam fuiſſe, teſtatur *Sigism.* MAYSTERLIN in *Chronico auguſt. eccleſiaſt.* apud *Jo.* PISTORIUM, *Script. Rer. Germanic. Tom. III. p.* 668. his verbis: „ Hiſtoriam vero & ſeriem vitæ ejus „ (ADALBERONIS) vir præclarus UDALSCALCUS ſcri- „ pſit, ad Epiſcopum *Waltherum* ejusque largita- „ tem, qualiterque in Eccleſia *S.* AFRÆ miraculis „ claruerit.“ MAYSTERLINO conſentit *Corb.* KHAMM *Hier. Auguſt. P. II. colleg. p.* 240. Scripta autem eſt a *Noſtro* hæc *Vita* intra annos 1134. & 1150. quibus WALTHERUS, Comes palatinus *de Tübingen* Eccleſiæ *Auguſtanæ* præſedit teſtantibus Chronographis *Auguſtanis*, uti STENGELIO, KHAMMIO &c. depoſita ſubin mitra epiſcopali cucullum in *Seligenſtadenſi* cænobio indutus.

IV. *Epigrammata & Poëmata* quam plurima, quibus, ut ſuperius ex MAYSTERLINO docui, totum monaſterium inſignivit; & quibus, teſte *Caſp.* BRUSCHIO in *Monaſteriologia p.* 137. Noſtri *ingenium admodum facundum, doctrina vero non vulgaris præclare ac luculenter proditur.* Horum *Epigrammatum* quidquid adhuc ſupererat, maxima, qua potuit, cura collegit, inſeruitque ſuo *Catalogo Abbatum Monaſterii SS. Udalrici & Afræ*, in dicti cænobii Bibliotheca adhucdum inter Manuſcripta aſſervato, *Wilhelmus* WITTWER, Monachus ejusdem loci doctiſſimus, ſupra laudatus. Non alienum a propoſito puto, eorum aliqua hoc loco ſubtexere:

„ Fixit ab æterno pietas in corde ſuperno,
„ Ut, quod in æthereis minuit fraus impia regnis,
„ Hoc homo ſuppleret; ſi non-peccando maneret.
„ Sed quia peccavit, vitæ ſibi jura negavit.
„ Ergo Creatoris fraudatur prima voluntes.
„ Immo Creaturæ purgatur prima voluptas.

„ Gra-

„ Gratia, rex & amor nobis hac arte medetur.
„ Dum voluit, potuit: quia dilexit, miſeretur.

In Imaginem SS. Benedicti & Mauri.

„ Conſulit iſte Pater facienda, jubetque Magiſter.
„ Quem ſi non ſpernis, monitis cedendo paternis,
„ Juſſa carent pœna, ſequitur conſulta corona.
„ Imperat, hortatur Deus, obſecrat atque minatur.
„ Pœna ſed accuſat miſerum, qui cuncta recuſat."

Contra Avaritiam.

„ E regione venis cupidis inhiando crumenis
„ Peſtis Avaritiæ, tibi junctis fraude dolisque."

De tempore Gratiæ.

„ Jam nova ſuccedit, vetus autem vita recedit,
„ Imperium mortis dum vincit gratia fortis.

De Judæis.

„ Hi remanent duri, ſine ſpe veniæ morituri:
„ In Patribus cari, ſteriles modo ſunt & amari."

Pauca hæc ſufficient, credo, ut intelligas, Lector, miram *Noſtro* verſuum componendorum facilitatem divitemque venam poeticam adfuiſſe, eique inter primos, ſaltem illius ætatis, Poëtas, præcipue ſacratiores & divina verſibus concinentes locum jure deberi.

V. *Hiſtoriæ*, ſeu *Legendæ SS.* UDALRICI & AFRÆ, MAURITII, *Mariæ* MAGDALENÆ, & *aliorum Sanctorum* (*i*). De his vide, quæ ſuperius ex MAYSTERLINO attuli: Eas vario orationis genere, tum ſoluto tum ligato *Noſter* ſcripſit, verſibus apponens notas muſicas & ad publice in Offi-
ciis

(*i*) V. ZIEGELBAUER & LEGIPONT *Hiſtoria Rei litterar. Ord. S. Bened. Tom. IV. p.* 416. *Jo. Alb.* FABRICII *Biblioth. Lat. med. & inf. ætatis. Caſp.* BRUSCHII *Monaſteriol. p.* 137. KHAMM *Hierarch. Auguſt. P.* 3. *reg. p.* 37.

ciis eccleſiaſticis decantandum deſtinans. Sic *Canticum de S. Maria* MAGDALENA per multas Eccleſias ſuo etiamnum tempore frequentari, ſupra teſtatur *Sigism.* MAYSTERLINUS: *Hymnos* autem *de SS.* UDALRICO *&* AFRA, poetice ac muſice compoſitos, noſtris adhucdum temporibus in publicis divinis Officiis cantari, auctor eſt *Corbin.* KHAMM (*k*). Scriptus eſt autem *Cantus* de S. UDALRICO a *Noſtro* petente UDALRICO epiſcopo *Conſtantienſi*, & *Conventus San - Udalricani* Alumnis; approbatus vero a GEBEHARDO Cardinali, & *Hermanno* Epiſcopo *Conſtantienſi*, ut publice in Eccleſiis cantaretur. GEBEHARDI Diploma, quod mutilum *Hierarchiæ* ſuæ *Auguſtanæ, P.II. colleg. p.*240. inſeruit mox laudatus *Corb.* KHAMM, integrum hic attexére libet:

„ Fr. GEBEHARDUS S. R. E. Presbyter Cardinalis
„ & apoſtolicæ Sedis Legatus in Chriſto plurimum
„ dilecto Fr. UDALSCALCO Eccleſiæ *SS. Udalrici &*
„ *Afræ* venerab. Abbati, & cunctis Fratribus in Do-
„ mino ſub eo militantibus ſalutem & omne bonum.
„ Relatione Catholicorum, & fidelium virorum ma-
„ nifeſte comperimus, quod poſt obitum bonæ me-
„ moriæ EGINONIS abbatis Fratres tui communi-
„ ter & concorditer te in abbatem elegerint. Cui
„ electioni apoſtolicæ Sedis Legati G. (*l*) Præne-
„ ſtinus, A. (*m*) Aquenſis epiſcopus, A. (*n*) Mo-
„ guntinus archiepiſcopus, ad quem Eccleſia tua
„ jure metropolis pertinet, Fraternitatem tuam ſic
„ renitentem aſſenſum præbere coegerunt: &, ut
„ de

(*k*) In *Hierarch. Auguſt. P. III. regul. p.* 37.

(*l*) Lege *Guarinus.* V. UGHELLI *Ital. ſacr. Tom. I. p.* 198.

(*m*) Lege *Actius* vel *Azzo.* V. UGHELLI *l. c. Tom. IV. p.* 327. *&* 778.

(*n*) Lege *Adelbertus* ſeu *Albertus.* V. SAMMARTHANI *Gallia chriſt. Tom. V. p.* 467. niſi velis *Arnoldum* appellare;

„ de more Eccleſiæ tuæ ab H. (*o*) Auguſtenſi epi-
„ ſcopo, qui tunc apoſtolicæ Sedis gratiam & Ec-
„ cleſiæ communionem habebat, inveſtituram &
„ benedictionem reciperes, præceperunt. Sed quia
„ eadem perſona plerisque Catholicis viris eſt ſuſpe-
„ cta, & in Ordinibus à pluribus vitatur, ne
„ pro benedictione ab eo ſuſcepta ſcandalum vobis
„ poſſit oriri, quadam pia ſollcitudine dubitatis.
„ Ne igitur perſonæ veſtræ in poſterum pro eadem
„ benedictione aliquod ſcandalum aut calumnia
„ oriatur, nos apoſtolicæ Sedis auctoritate, quod
„ in perſona veſtra a prædicto Fratre factum eſt,
„ ratum haberi cenſemus, & ut nulli de cetero
„ pro eadem cauſſa contra vos calumniam aut que-
„ rimoniam movere liceat, omnimodis prohibemus.
„ Præterea *Cantum*, quem de Patrono veſtro
„ *S.* UDALRICO precibus venerandæ memoriæ
„ UDALRICI, *Conſtantienſis* epiſcopi, & *Fratrum*
„ tuorum petitione compoſuiſti, in Eccleſia veſtra
„ ad ejusdem Sancti honorem frequentari & ſolem-
„ niter decantari volumus & mandamus... " (*p*)

Ad hunc *Cantum*, aut (ſi mavis *Legendam* de S. UDALRICO epiſcopo *Auguſtano* referri omnino oportet ea, quæ de *Vita S.* UDALRICI, a *Noſtro* ſcripta, in variis auctoribus, nominatim etiam in *Joſiæ* SIMLERI *Bibliotheca*, v. UDALSCALCUS, item in *Melch. Haiminſf.* GOLDASTI *Script. Rer. Alamann. Tom. II. p.* 167. (ubi multa ſunt, quæ ad noſtrum UDALSCALCUM nullo modo pertinent) leguntur: minime vero ad eam *Vitam S.* UDALRICI, quam

lare; prout in UDALSCALCI *Narratione*, inter *Henr.* CANISII *Lectiones antiquas*, a *Sam.* BASNAGIO editas, *Tom. III. P. II. p.* 13. vocatur.

(*o*) Lege *Hermannus.* V. *Corb.* KHAMM *Hier. Auguſt. P. I. cathedr. p.* 197. aliosque *Chronographos Auguſtanos.*

(*p*) Ita *Wilh.* WITTWER in *Catal. Abbat. SS. Udalrici & Afræ.*

quam primum *Marc.* VELSERUS, dein *Joann.* MABILLONIUS, poſtremo BOLLANDISTÆ, ut vocant, vulgaverunt. Certe *Noſtrum* mox dictæ *Vitæ* ſcriptorem non eſſe, ipſe MABILLONIUS, in *Actis Sanct. Ord. S. Bened. T. VII. p.* 413. bene monuit, oſtendens claris argumentis, UDALSCALCUM *Vitæ* hujus auctorem eſſe non poſſe, utpote longius a *S.* UDALRICI ætate remotum, cui tamen ſynchronum & familiarem fuiſſe, *Vitæ* memoratæ ſcriptor, quisquis is eſt, pluribus in locis prodit. Sed de hoc ſatis; cum omnem erroris occaſionem in poſterum per ea, quæ modo dixi, præcludendam fore haud temere credam.

VI. *Vita S.* CONRADI *Epiſcopi Conſtantienſis*, ſive ea, quam *Joann.* PISTORIUS *Script. Rer German. Tom. III. p.* 711. exhibet, ſive ea, quam *Godefr. Guil.* LEIBNITIUS *Script. Brunsvicenſ. Tom. II. p.* 1. protulit: quanquam inter ſe verbis magis, quam re ſenſuque diſcrepent; niſi quod *Vita* a LEIBNITIO publicata nonnihil plenior ſit, deque familia *S.* CONRADI diſtinctius tractet. Alterutram *Noſtro* deberi, ut prorſus credam, duplici ratione adducor; tum quod *Noſtrum* conſcribendis *plurium Sanctorum Vitis* operam laudabilem dicaſſe, ex probatiſſimis Scriptoribus ſuperius *No. V. nota (i)* conſtet; tum quod ea, quæ in deſcriptione *Translationis II. S.* CONRADI *Vitæ* a LEIBNITIO vulgatæ annexa, de ejus Vitæ Auctore occurrunt, *Noſtro* maxime conveniant. Audiamus illa: „ Antiſtes „ igitur (UDALRICUS *Epiſc. Conſtantienſ.*) ut hoc „ cognovit, *Monachum quendam, virumque eruditiſſimum ex Auguſta civitate apud ſe exulantem* convocavit, eumque *Vitam ſæpe dicti Patris* (*S.* CONRADI) tam ex antiquis ſchedulis quam ex vetuſtis relationibus inveſtigatam, *conſcribere poſtulavit.*

„ *lavit* At ille præceptum quidem obedienter ſuſ-
„ cepit, efficaciter autem, ut juſſum erat, adim-
„ plevit. Præſul itaque poſthæc *eundem Monachum*,
„ *qui poſtea monaſterio B. Afræ pœnes Vindelicam*
„ *ſtrenue præfuit*, atque Vice-Dominum ſuum *Hein-*
„ *ricum*... Viros... tantæ legationi valde idone-
„ os, *cum Litteris pontificalibus* ad ſedem apoſtoli-
„ cam direxit, cui tunc præerat CALIXTUS II...
„ cui cum præfati... Legati cauſſam, pro qua miſ-
„ ſi fuerant, intimaſſent, ille... reſcripſit, ut...
„ Litteris itaque Legati V. Kalend. April. Latera-
„ nis a CALIXTO Papa ditati... patriam redire de-
„ creverunt. In itinere autem a quodam in captivi-
„ tatem ſunt redacti, atque ab eo aliquanto tempo-
„ re quæſtus gratia cuſtodiæ mancipati. Impoſiti er-
„ go ergaſtulo inerti non indulſerunt otio, ſed *jam*
„ *dictus Monachus*... Confeſſoris Chriſti CONRADI
„ (vitam) *ſuaviter modulatus eſt*, quam non mul-
„ to poſt dimiſſus pontifici cum Litteris apoſtolicis
„ detulit... Perlectis vero epiſtolis... UDALRICUS
„ initio conſilio... juſſit promulgari, ut *die* 6. *De-*
„ *cembr*... omnis dignitas omniſque ſexus *Con-*
„ *ſtantiæ* conveniant, quatenus ipſe Sanctus... in
„ Eccleſia inter Sanctos deferretur... Facta eſt au-
„ tem hæc Translatio egregii Chriſti Confeſſoris
„ CONRADI *anno dominicæ Incarnationis milleſimo*
„ *centeſimo vigeſimo tertio* &c. &c." Jam ſi, quæ di-
cta ſunt, accuratius expendamus, debuit Auctor
Vitæ S. CONRADI exulare; qua Monachus exula-
re; anno 1122. aut certe ſub initia anni 1123. ſæ-
pius memoratam *Vitam* conſcribere; proficiſci ſub-
in *Romam*; *Vitam S.* CONRADI modulari: hoc eſt
(ut ego quidem interpretor) in modulos muſicos
cogere; ſedem poſtea abbatialem in monaſterio ſuo,
S. Afræ, conſcendere. At hæc omnia in ſolo UDAL-
SCAL-

SCALCO vera eſſe cognoſcuntur. Exulavit cum Abbate ſuo EGINONE, pulſus urbe *Auguſta* abs *Hermanno* epiſcopo, *Henrici* V. Imperatoris partibus plus, quam par erat, addicto, atque ob eam rem eccleſiaſtica communione privato; exulavit ut Monachus; par fuit *Vitæ* huic conſcribendæ, utpote vir doctus litterisque præſtans, eidemque modulis muſicis ornandæ, quippe muſicæ artis peritiſſimus; conſcendit poſtea abbatialem ſedem in cænobio *S. Afræ*. Atque ut res iſta magis pateſcat, diſquirendum videtur, quinam Abbates *S. Afræ, Auguſtæ*, in ea inciderint tempora. Quatuor memorat *Corb.* KHAMMIUS in *Hierarch. auguſtana*, *Parte* 3. *regul.* ſcilicet EGINONEM, qui anno 1122. obiit: WOLLEMARUM, qui anno 1122. factus eſt Abbas: UDALSCALCUM, qui, anno 1126. abbatialem dignitatem conſecutus, eam usque ad annum 1151. tenuit: HEZILONEM, qui UDALSCALCO ſucceſſit. Jam vero! Exulavit quidem EGINO, ſed ut abbas; WOLLEMARUS forſitan exulavit, ſed jam anno 1122. abbatis dignitatem accepit. Reſtat ergo ſolus UDALSCALCUS, qua Monachus, illo tempore, quo ſcribi *Vita* & legatio *Romam* ſuſcipi debuit; nam de HEZILONE dicere pluribus haud attinet; tum quod remotior ab illis temporibus eſſe dignoſcatur: tum quod minus ab eruditione quam diſciplinæ & œconomiæ ſtudio, minime vero ab artis muſicæ ſcientia commendatus inveniatur.

Quæres poſthæc, quam ego *Vitam* adſcribendam *Noſtro* eſſe cenſeam? An *Piſtorianam*, an vero *Leibnitianam*? Mallem *Piſtorianam*, ea potiſſimum ratione ductus, quod UDALRICI epiſcopi *Conſtantienſis* epiſtolam ad Papam CALIXTUM II. in fronte præferat; quæ circumſtantia in allegata *Translatione II.* diſtinctis verbis exprimitur. Ceterum de

 his

his conſuli poterit, ſi libet, *Godefr. Guil.* LEIBNITIUS in *Præfatione* ad *Tom. II. Script. Rer. Brunsvicenſ. p.* 2. 3. item *Godefr.* HECHTIUS in *Germania ſacra & litterata*, *p.* 196. qui tamen ambo obſervationibus ſuis nonnulla interſerunt minus apta & a vero aberrantia: quæ ex antedictis facile corriges.

WITTWER (*Wilhelmus*)

Monachus Ordinis *S. Benedicti*, in cænobio famigeratiſſimo *SS. Udalrici & Afræ*, *Auguſtæ*, vixit quinque Abbatum, nimirum *Melchioris de* STAMHAM, *Henrici* FRIES, *Joannis de* GILTLINGEN, *Conradi* MOERLIN, & *Joannis* SCHROTT ſibi proxime ſuccedentium temporibus, *Chronographus* monaſterii ſui ſollertiſſimus doctiſſimusque. Primus *Wilhelmi* noſtri mentionem fecit *P. Corbinianus* KHAMM itidem Cænobita *San - Udalricanus*, Rerum Auguſtanarum Scriptor accuratiſſimus, idque jure ac merito; cum laboribus *Noſtri*, in conſcribenda ſua *Hierachia Auguſtana*, plurimum uſus ſit (*a*). Poſt KHAMMIUM unus de *Noſtro*, ſed obiter, & quaſi in tranſitu, meminit *P. Bernardus* PEZ (*b*) his verbis: *R. P. F. Petri* WAGNER *Collectura illuſtrium Virorum*, *de qua conſule Fr. Wilhelmi* WITTWER *Catalogum Abbatum hujus loci.* Hos duos Scriptores ſi excipias, nullus (quod ſcio) extitit, qui *Wilhelmi* memoriam ageret, ut non dicam, vitæ ejus circumſtantias, laboresque litterarios prolixiori oratione perſcriberet. Iſtud cum mihi incitamento maximo fuerit, res *Noſtri* poſterorum memoriæ curatius tradendi, tum ſingulari ad id ipſum efficiendum adjumento mihi extitit inſolita plane humanitas *Cænobitarum dicti* Mo-

(*a*) V. *Corb.* KHAMM *Hierarch. Auguſt. P. III. regul. p.* 10. 101.

(*b*) In *Theſauro Anecdotorum noviſſ. Tom. I. in Diſſertat. iſagog. p. XXXIII.*

Monaſterii, qua moti *Catalogum Abbatum SS. Udalrici & Afræ*, manu *Noſtri* ſcriptum, mecum communicare dignati ſunt: ad quem mox deſcribendum ſi aggredior, id meditato a me fieri deputet benevolus Lector; quo hac ratione planiora ei & expeditiora ſint, quæ poſtea a me dicentur.

Spiſſus *Codex* eſt in 4to ut ajunt, foliorum trecentorum & quod excurrit. Præfigitur *Vita S.* DIONYSII *primi Epiſcopi Auguſtani*, alia manu exarata; quam proxime ſequitur *Wilhelmi* WITTWER *Catalogus Abbatum SS. Udalrici & Afræ*, at is valde contractus ac brevis in modum *Tabulæ* ſive *Indiculi*, in quo præter Abbatum nomina, annumque electionis & obitus ferme nihil occurrit. Incipit: *Hoc Opuſculum brevi ſuccinctoque ſermone Catalogum Abbatum hujus inclyti Cœnobii SS. Udalrici & Afræ (eorundem denique actis & geſtis partim inſertis) complectitur, exordium a primo ſumens Abbate.* REGINBALDUS *itaque primus hujus inſignis loci... Abbas &c. &c.* Huic *Catalogo*, aut ſi mavis *Indiculo* ſuccedit *Hiſtoria Cœnobii S. Afræ*, cujus initium hoc eſt: *Durationem ſeu antiquitatem Cœnobii ſanctiſſimæ Afræ Martyris in civitate Auguſta Rhetiæ, nec non adventum ad noſtra loca converſionemque ejusdem S. Afræ, ſub quo denique Imperatore paſſa ſit, breviori, quo poſſum, ſtylo perſtringam. Deinde ſuccinctim ſubjungam Catalogum, Abbatum hujus loci, eosque ex ordine usque ad noſtra tempora ſeriatim enumerabo. Sed ut ad ſanctiſſimæ noſtræ Patronæ Afræ &c. &c.* Memoratam *Hiſtoriam* excipit *Catalogus Abbatum SS. Udalrici & Afræ* prolixior, largiorique oratione Abbatum præclare geſta exponens, hoc exordio: *Incipit Catalogus Abbatum Monaſterii SS. Udalrici Epiſc. Auguſtenſ. & Afræ Martyris, Patronorum præfati Mo-*

naſterii Ord. S. Benedicti ſeu nigrorum Monachorum in Auguſta Rhetiæ urbe vere regia &c. &c. Iſtius *Catalogi* initium WITTWERUS ducit a REGINBALDO primo Abbate, finem autem facit in *Conrado* MOERLIN (qui anno 1496. Abbas, ordine *quadrageſimus tertius*, conſtitutus eſt) excurrens ab anno virginei partus 1012. usque in annum 1497. Auctor, in enarrandis factis Abbatum, præcipue ſuæ ætatis, longe fuſiſſimus, multa alia interſerit, uti *Narrationem* UDALSCALCI *de Controverſiis inter* HERMANNUM *Epiſc. Auguſtenſ.* & EGINONEM *Abbatem S. Udalrici* (*c*): ejusdem UDALSCALCI *Epigrammata, Poemata &c*: *Carmina Pauli* KAUFFRINGER (*d*): *Carmina Adolphi* OCCONIS *Friſii* (*e*): *Carmina plurima Georgii* BOLSTER (*f*): *Diplomata complura*, quæ *Corbinianus* KHAMM in *Hierarchia Auguſtana*, 4°. ſuis locis ſparſim adducit, plura alia inſuper ex Opere *Noſtri* Excerpta interponens. *Catalogo Abbatum* ad calcem *Codicis* ſubjecit *Wilhelmus* perbrevem *Catalogum Priorum*, item *Catalogum Subpriorum* ex eo tempore, quo in Monaſterium ingreſſus eſt, ſcilicet ab anno 1469. Sub finem

(*c*) Vide ſuperius ſuo loco: UDALSCALCUS, *No. II. & IV.*

(*d*) Vide ſuperius ſuo loco: KAUFFRINGER.

(*e*) Fuit Artium & Medicinæ Doctor, *Friderici* Epiſcopi Auguſtenſis, & fors etiam anteceſſoris ejus *Joannis Werdenbergici* Phyſicus; de quo alio in loco a me dicetur.

(*f*) *P. Georg.* BOLSTER Monachus Ord. *S. Bened.* Profeſſus in monte *Andechs*, quod eſt monaſterium ſuperioris *Bavariæ*, anno 1493. tanquam hoſpes in monaſterio *SS. Udalrici & Afræ*, *Auguſtæ* commoratus, Bibliothecam; Dormitorium, Sanctorum imagines &c. verſibus decoravit, ingenioſus & induſtrius Poëta. Abbatem quoque *Joann. de* GILTLINGEN & nonnullos loci ejus incolas carmine celebravit, amicus cumprimis *Wilhelmo* noſtro, uti credere plane fas eſt. Confer *P. Corb.* KHAMM *Hierarch. Auguſt. P. III. reg. p.* 101. ubi mendoſe *Georg.* BOLSTETER vocatur.

finem *Catalogi Abbatum*, uti & *Priorum* ac *Subpriorum* aliena manus aſſuit aliqua, quæ non morabor.

Hæc de *Codice*, forma ejus & ambitu. Quæ vero tum in eodem *Codice*, tum in aliis libris ad Vitam *Noſtri* pertinentia repperi, modo ſubjungam.

Natus eſt *Noſter* in *Höchſtetten*, patre *Udalrico*, matre *Anna* dictis, anno reparatæ ſalutis 1449. quinto Idus Januarii. Annorum ſeptem cum eſſet, *viro valde honeſto*, cujus tamen nomen non exprimitur, in diſciplinam traditus, tum vitæ chriſtianæ officia tum artes liberales didicit, utens maxime, dum junior fuit, familiaritate cujusdam *Nicolai* poſtea bibliopegæ, quem *tanquam ſocium individuum & comburſalem ſuum tempore juventutis ſuæ in Czerbſt* ſeſe habuiſſe ipſe teſtatum reliquit. Anno virginei partus 1469. in monaſterium *SS. Udalrici & Afræ Auguſtæ* admiſſus, divino ſeſe ſervitio mancipaturus veſtem ſacram induit,poſitisque rite ſub *Joanne de* GILTLINGEN Tyronum magiſtro, poſtea abbate, vitæ religioſæ rudimentis ibi ſolita Deo O.M. vota nuncupavit. Subin anno 1472. initiatus ſacris Ordinibus, ſacerdotii ſui primitias ſupremo Numini grata lætaque mente obtulit. Eorum, quæ hactenus aſſerui, teſtem appellare mihi licet tum *Wilhelmum* ipſum (*g*) tum ſupra nominatum *P. Georg.* POLSTER (*h*) cujus Carmen ſubjicio:

„ *Sequitur nunc Carmen P. Georg.* BOLSTER *de* „ *Interpretatione proprii nominis & cognominis Fr.* „ *Wilhelmi* WITTWER *Monachi publice profeſſi. Et* „ *litteræ initiales ſubſcripti Carminis efficiunt*: Frater „ Guilhelmus Wittwer.

„Fert Carmen, quando naſcor,monachum voveoque,
„Rite ſacerdos ordinor, ac primas cano Miſſas.

O 5 „ An-

(*g*) In *Codice*, p. 207. 259. 269. 309. item in *Catalogo Priorum*, & *Subpriorum*.

(*h*) In *Codice*, p. 252.

„Anni *mille quadringenti quadraginta novemque*
„Tunc vadunt Domini, cum *quinto Idus Januari*
„Ex patre *Udalrico*, WITTWER cognomine dicto
„Rite ſibi juncta me mater parturit alma.

„Gregorii Feſto *ſeptennis trador honeſto*
„V*alde viro*, *partes* doceat qui me ſed & *artes*.
„In binoque vigeno fio *Novitius* anno
„Lege probandus ſancti Patris *Benedicti*.
„Hinc decurſo anno pene voveo monachum me,
„Extat Feſtum *Narciſſi* dum præſulis almi.
„Larga Dei per munera, dum Phœbus rotat annos
„Mille quadringentos, decies ſeptemque, duosque
„Virginis a partu conſecror rite *ſacerdos*,
„Solemnizatur ſancti dum cathedra *Petri*.

„Balo letus primas dante Deo pie *Miſſas*
„Jamjam prætactis annis Nonis ſub Aprilis.
„Tunc erat ipſe mihi venerandus *Melchior* Abbas
„Bellaque in Auguſta monachorum clauſtra gubernans.

„Eja, ſumme Deus! ſic natum, ſicque progreſſum
„Reſpice clemens, mortis in hora ſuſcipiens me.

„*Frater* corde *Georgius* edidit hæc metra fido
„POLorum regis non inutilis ipſe miniSTER
„EX *Schongau* natus, monachus profeſſus in *Andechs*.

In ſacro Ordine hac ratione conſtitutus *Wilhelmus* noſter temporis, a conſuetis pietatis exercitiis vacui, ſpatium ita ſibi collocandum putavit, ut maximum, quem poſſet, fructum inde perciperet. Hinc factum, ut ad libros in uſum ſuum ſcribendos animum adjiceret. Sic anno 1477. annuente abbate *Henrico* FRIES, quem *patrem ſuum chariſſimum* appellat, *Breviarium* ſive *Librum Horarum canonicarum* ſibi ſcripſit, perfecitque anno 1478. uti illius epigraphe (*i*) teſtatur: „*Fi-*

(*i*) In *Codice*, p. 195. 204.

„ *Finitus eſt autem prædictus Liber* ... 4. *Idus*
„ *Octobr. id eſt feria ſecunda ante Feſtum SS. Epiſc.*
„ *& Confeſſ. Simperti, uti habetur in ſubſcriptis verſibus.*
„ Gratia ſubſcriptos Chriſti numeraverat annos,
„ *Mille*, *quater C. L.* & *X. duo*; denique *ſeptem*
„ Principium cum *ſexta* dies *Maii* tribuiſſet
„ Huic Operi, cujus medium cum tempore fluxit:
„ Dum finem lætum Liber iſte fuit adeptus,
„ *Idus Octobris quarto* ſed ſole reverſo
„ Per ſpatium cæli, gyroque *Anni* revoluto.
„ *Abbas Henricus* in eisdem præfuit annis. "

Similiter anno 1488. permiſſu Abbatis *Joannis de* GILTLINGEN *Miſſale* in charta pergamena in ſuum uſum conſcripſit; de quo ſequentia narrat (*k*):
„ *Eodem anno* (1488.) *idem Pater & Abbas* (Joan-
„ nes) *ex ſua innata pietate dedit mihi Wilhelmo*
„ WITTWER *pergamenum ad ſcribendum pro uſu meo*
„ *Librum*: Miſſale, *& hoc per quendam ſacerdotem*
„ *ſæcularem*, *nomine Georgius Czikel*; *ſed pecuniam*
„ *congregavi a diverſis perſonis utriusque ſtatus mihi*
„ *inclinatis ac notis ſimiliter utriusque ſexus.*
„ *Mille*, *quadringentos* Dominus conceſſerat annos
„ At *octoginta*, *bis quater* quoque: *Novembris*
„ Abbas *Joannes* ille *ſeno bis Kalendas*
„ *Wilhelmo* donat WITTWER ac cudere favet
„ Præſens, quod finem Opus Deo largiente
„ Sortitur menſis *Idus Novembris octavo*
„ *Anno ſequenti*, onus *Jeorgioque* gerente
„ Clerico: ac WEINLIN cooperante *Leonhardo* (*l*).
„ O bone Jeſu! gratiam conferasque ſolamen
„ His, Opere quorum in hoc ſubſidia ſenſi."

At hujus commatis laboribus minus ſibi ſatisfaciens Wilhelmus, altioraque animo volutans, confici

(*k*) In *Codice*, *p.* 227.

(*l*) *Leonardus* WEINLIN fuit Monachus Ord. *S. Bened.* in Cœnobio *SS. Udalrici & Afræ*, *Auguſtæ*, ſub finem ſæculi XV. & initia ſæculi XVI. de quo alibi dicam.

ficiendi *Catalogi Abbatum Monaſterii SS. Udalrici & Afræ* propoſitum capit; quod ipſum ita eſt exſecutus, ut non jejunum & exile Opus produceret, ſed enim copioſum, locuples, varium: in quo egregia Abbatum facta, laudes Virorum ejus loci doctrina & morum ſanctitate illuſtrium, multaque alia huc facientia ex vetuſtis libris ac monimentis operoſe improboque labore congeſſit, vel ob hoc unum Scriptum (nam alia nulla hactenus a *Noſtro* invenire potui) omni commendatione dignus. Hæc igitur de litterariis laudibus *Wilhelmi* dicta ſatis ſunto.

Ab anno 1483. *Noſtrum* ſupellectilis ſacræ templi *cuſtodiam* egiſſe, repperio; quod tamen munus anno 1487. ob exortas moleſtias ultro abdicavit, (*m*) de quibus conſuli poterit *Corb.* KHAMMII *Hierarch. Auguſt. P. III. reg. p.* 101. Anno 1492. dum ſolennis Reliquiarum *S.* SYMPERTI Translatio celebrabatur, eidem cum reliquis loci Cænobitis *Noſter* interfuit (*n*) uti *publicum* ejus *Translationis Inſtrumentum* docet.

Demum anno 1512. ultima die Aprilis, emenſo vitæ curriculo, ſpiritum Creatori tradidit; prout ex quadam Epiſtola anecdota *Viti* BILDII, cujus Vita ſupra a me deſcripta eſt, didici (*o*). Conſonat Epitaphium in periſtylio Eccleſiæ *SS. Udalrici & Afræ* adhucdum extans:

Anno Dni 1512. *obiit Frater Wilhelmus* WITTWER *pſbiter & monachus pridie Kl. maji, cujus anima requieſcat in pace.*

(*m*) In *Codice*, *p.* 210. 229. 230.

(*n*) V. *Bern.* PEZ *Theſaurus Anecdotor. noviſſ. Tom. II. P. III. p.* 450.

(*o*) Data eſt hæc Epiſtola a BILDIO anno 1512. 14. Maii ad *P. Paulum* Ord. *S. Bened.* Profeſſum ad *S. Emmeramum*, *Ratisbonæ.*

Finis Alphabeti primi.

ADDEN-

ADDENDA & EMENDANDA
ad
DIATRIBEN
DE ORIGINE & INCREMENTIS
ARTIS TYPOGRAPHICÆ
In Urbe AUGUSTA VINDELICA.

Pag. XII. lin. 8. poſt verba: *labor omnis in caſſum cecidit*, adde:

Magis propitia fortuna uti ſeſe credidit pluribus abhinc annis Vir clariſſimus *David* CLEMENT, ubi in *Brunvicenſi* Bibliorum Collectione antiqua quædam *Biblia latina* invenerat, in quibus ad calcem *Tomi I.* nomen BAMLER, annusque 1466. cæruleo colore adſcripta occurrunt; uti idem in Libro: *Bibliotheque curieuſe &c. Tom. IV. p.* 87. teſtatus eſt. Sententiæ ſuæ aſſeclam habuit prædictus D. CLEMENT *Gerard.* MEERMANNUM, qui in *Orig. typograph. T.* 1. *c.* 1. §. 15. *& T.* 2. *in Indice tertio*, *p.* 285. ſimile *Bibliorum* Opus in Bibliotheca regia Pariſienſi aſſervari monuit; quod ipſum, etſi ſubſcriptione careat, tamen BAEMLERO noſtrō adjudicare minime dubitavit. Verum neque horum Virorum auctoritas, neque ſubſcriptio allata, qua teſtimonium *Achillis Pirminii* GASSARI, ſcriptoris propemodum ſynchroni, apprime confirmatur, impetrare potuerunt a *M. Georg. Wolfgango* PANZERO, ut ſe nobis jungeret; ſed ſatius duceret, in Libro: *Beſchreibung der älteſten Augſpurgiſchen Ausgaben der Bibel*, *p.* 3. *Jac.* BRUCKERO, ceterisque adverſæ partis aſſeclis accedere (ea re motus, quod ut ait, hujusmodi ſubſcriptiones ut plurimum ſubleſtæ fidei ſint) iſtaque Biblia *Henrico* EGGESTEYN typographo adſcribere. Præcedenti controverſiæ *&c. &c.*

Pag.

Pag. XII. ad finem, poſt verba: ***abjudicandam eſſe reor,*** **adde:** Contra ea, quæ modo dixi, fuſe denuo argumentatur *M. Georg. Wolfgang.* PANZERUS in Libro: *Beſchreibung der ältſten Augſpurgiſchen Ausgaben der Bibel. p.* 4. ſatis clare oſtendens: *Jo.* FABRICII effatum male intellecto teſtimonio *Dieterici van* STADE niti: Le LONGIUM nulla Biblia *Bämleriana* anni 1467. aſſerere; ſed unice TENZELII in Libro: *Monatliche Unterredungen*, 1692. 1693. opinionem afferre in medium, affirmantis, Biblia germanica anno 1467. impreſſa fuiſſe, nec tamen impreſſionis locum ullum definientis: MAITTAIRIUM denique ſolum ex allegatis ſcriptoribus FABRICIO, *Le* LONGIO, *Dieterico van* STADE horum controverſorum *Bibliorum* notitiam accepiſſe. Hinc colligit: FABRICII, *Le* LONGII, MAITTAIRII auctoritatem hac in re admodum tenuem eſſe. Poſthæc multis probat: TENZELIUM & *Dietericum van* STADE male intellectum fuiſſe, eorumque verbis ſenſum alienum fuiſſe attributum, addens, *Dietericum van* STADE nullibi ſcripſiſſe, quod Biblia *Bämleriana* anni 1467. vel poſſederit, vel viderit.

Pag. XIII. lin. 12. poſt verba: ***noſtrum redeamus***, adde: Hunc itaque *Moguntiæ*, in ſchola FAUSTI vel GUTEMBERGII, didiciſſe artem typographicam ſuſpicatur; appulſumque *Auguſtam* charactere tum ſculpto, tum ſculpto-fuſo (ubi ars fuſoria latius manare cœperat) exercuiſſe monet *Gerard.* MEERMANNUS in *Origin. typograph. Tom. I. cap. I.* §. 15.

Pag. XIV. lin. 9. poſt verba: ***benevole Lector!*** adde: Unum monendum reſtat; ſcilicet haud levem eſſe conjecturam, *Bämlerum* noſtrum *Güntheri* ZAINERI, de quo ſequens aget paragraphus (an fatis ſupremis functi, an ſuæ arti nuntium remittentis, haud definio) typographeum, ſibi proprium feciſſe. Conjectura hæc non frivolo nititur argumento, inſignibus nimirum ZAINERI, cum inſignibus

gnibus *Bämleri*, una junctis, quæ videre eſt in editione Auguſtana *Bibliorum* de anno 1477. & quæ inferius §. IX. deſcribo, anteque me deſcripſit in Libro: *Beſchreibung der älteſten Augſpurgiſchen Ausgaben der Bibel*, *p.* 20. 21. *M. Georg. Wolfg.* BANZERUS; cujus in hac ipſa re ſententiam non probare non poſſum.

Pag. XIX. lin. 20. poſt verba: *Romanis litteris excuderit*, adde:

Utcunque hoc ſe habeat, non poſſum hoc loco non adſcribere, quæ monet Liber: *Catalogue raiſonné de la Collection de Livres de Mr Pierre Antoine* CREVENNA *Negoçiant à Amſterdam*, *Tom. VI. p.* 112. Sic autem ibi legere, eſt: „ On croit, que la ville „ d' *Augsbourg* a été la premiere dans l' Allemagne „ où l' on a fait uſage, & ſubſtitué aux lettres *Go-* „ *thiques* les *Romaines*. Mr MEERMANN donne cet „ honneur a *Güntherus* ZAINER... Mais peut-être „ a-t-il eû un Competiteur en *Jean* SCHUSZLER de „ la même ville, qui deja en Juin 1471. a produ- „ it les Hiſtoires d' *Oroſius* en lettres, qui ſont ap- „ prochantes des *Romaines*, & qu' on peut preſque „ abſolument dire telles. " In hoc quoque &c. &c.

Pag. XXI. ſub finem §. VII. poſt verba: *ſi libet ac licet, erue*, adde:

Ceterum eorum recorderis velim, quæ ſuperiore *paragrapho* de *Noſtro* ex Libro: *Catalogue raiſonné de la Collection de Livres de Mr Pierre Antoine* CREVENNA, monui, nimirum SCHUSSLERUM litterarum *Romanarum*, *Gothicis* ſubſtitutarum, gloriam cum *Günthero* ZAINERO fere communem habere.

Pag. XXII. lin. 18. poſt verba: *copia librorum magna in Bibliotheca fieret*, adde:

Repetere hoc loco juvat *Bernardi* HERTFELDERI, a me §. *III.* citata: *Ut fratres ad litteras magis animaret, & otium, perniciem monaſteriorum, fugaret* (*Melchior de* STAMHAM Abbas) *artem impreſſoriam... in Conventum ſuum introduxit.* Dictis ctis concinit &c. &c.

Pag.

Pag. eadem, lin. penultima , ſic lege :

Quadruplici domeſtico teſtimonio quintum accedat P. *Corbiniani* KHAMMII itidem &c. &c.

Pag. XXV. lin. 13. poſt verba : ***ſecundam , tertiam partem*** , ſic lege :

Parum autem refert , ſive vox : *auguſta* , *Auguſtam* civitatem denotet , ſive non ; cum ex *Wilhelmi* WITTWER , Monachi *San - Udalricani* , *Catalogo Abbatum monaſterii SS. Udalrici & Afræ* , MSS[to]. exploratum habeam , allegatum a me *Vincentii Speculum* re vera a *Melchiore de* STAMHAM typis fuiſſe commiſſum. WITTWERI ergo teſtimonium , etſi prolixius , percipe Lector ! „ Anno Domini 1472. Reverendus in Chriſto Pa- „ ter & Dominus .. *Melchior de* STAMPHAIN . . . „ ob laudem omnipotentis Dei & univerſalis Ec- „ cleſiæ utilitatem , nec non ſui monaſterii præ- „ fati rerum temporalium accreſcentiam niſus „ eſt imprimere *ſtanneis characteribus* Dialogum „ *B. Gregorii Papæ* in *Moralibus* , in vulgari , qui „ finitus eſt 1473. Dein *Sermones* aureos *Leonar-* „ *di de Utino* , *de Sanctis* , & finiti ſunt 1474. ſed „ compoſiti ſive collecti per prædictum Magiſtrum „ *Leonardum de Utino* anno Domino 1446. Juſſit „ etiam imprimi *Vincentium* in *naturali* (lege : *hi-* „ *ſtoriali*) *Speculo* in *tres partes* ; ſed antequam fi- „ niretur , obiit idem Pater & Abbas , ut infra di- „ cetur , & per ſucceſſorem ſuum completi ſunt *Ser-* „ *mones* & *Speculum.* Etiam cetera alia Opuſcula „ juſſit imprimere hic haud neceſſe interferenda. Se- „ quuntur *metra* , qui continentur in fine *tertiæ* par- „ tis *Speculi hiſtorialis Vincentii :*

„ *Codicis inſignis quin periodus quoque finis* &c.&c.“ Hic poſt inſertos , quos mox attuli , verſus pergit WITTWERUS : „ Finitur autem Liber præſcriptus „anno Domini 1474. poſt obitum prædicti Abbatis.

„Quomodo venerabilis Abbas *Melchior* procuravit

„ ne-

„ neceſſaria ad prædictam artem , videlicet inſtru-
„ menta. Accivit enim ad ſe quendam opificem no-
„ mine *Sixtum* , regiæ civitatis prælibatæ ſcilicet
„ *Auguſtæ Rhætiæ*, cognomento *Saurloch* conducens
„ eundem pro inſtrumentis preſſoriæ artis faciendis,
„ quibus in anni curriculo completis , & *decem preſ-*
„ *ſulis* perfectis præfatus D. *Melchior* . . . expoſuit
„ pro ſingulis hujus artis calculatis prædictas ad
„ preſſas magnam pecuniarum ſummulam utpote
„ ſeptingentos ac duos . . . florenos. Propterea ali-
„ qua debita propter præfatam artem dimiſit ſucceſ-
„ ſori ſuo , qui tamen ſucceſſor ejus mox perſolvit
„ venditis Libris . . . quia tres partes *Speculi hiſto-*
„ *rialis Vincentii* venditi ſunt in principio pro *vigin-*
„ *ti* , vel *viginti quatuor* florenis. . . " Hucusque
P. Wilhelmus WITTWER. Inſtrumentorum vero,
ad typographicam artem pertinentium , pauca
quædam ſervantur noſtro adhuc tempore in Biblio-
theca ſæpius memorati monaſterii.

Pag. XXV. lin. 14. ſic lege :

Sed ut ad *Apographum Chartulæ* pergamenæ rever-
tar : *Compendium* illud *morale* , cujus impreſſione
typographæum *San - Udalricanum* primo occupa-
tum fuit , mihi uſurpare licuit oculis in Bibliotheca
Cænobii *Benedicto - burani* , in ſuperiore Bavaria
ſiti. Extat etiam in Bibliotheca Monaſterii *Tegern-*
ſeenſis , & quidem ab ipſo *Melchiore de* STAMHAM
Abbate *San - Udalricano* Auguſtæ, Conventui Mo-
naſterii *Tegernſeenſis* dono oblatus anno MCCCC-
LXXIII. uti docet teſtis ocularis *Georg. Guilielm.*
ZAPF in Opuſculo : *Ueber meine litterariſche Reiſe in*
einige Klöſter Baierns, pag. 39. Eſt autem hoc *Com-*
pendium , in *folio* minori , tum characterum tum ip-
ſius materiæ diverſitate Liber omnino alius a *Spe-*
culo Salvationis humanæ (Unum enim eundemque
Librum eſſe initio , licet perperam, ſuſpicatus ſum)

Bibl. Auguſt. Alph. I. P quod

quod *Speculum* in Cænobii *San - Udalricani* Auguſtæ Bibliotheca in duplo exiſtit, & quod ibi impreſſum fuiſſe, multa perſuadent. Vidi præterea in eadem Bibliotheca *Benedicto - burana Leonardi de* UTINO *Sermones* in *folio* minori, ſimili charactere, quo dictum *Compendium morale*, excuſos, quibus in fine additur annus impreſſionis MCCCCLXXIV. quo ipſo anno hos *Sermones* ex typographeo *San-Udalricano Auguſtæ* prodiviſſe, bene monuit ſæpius citatus a me KHAMMIUS, cujus teſtimonium a me ante allatum, ſaltem ex hac parte, quam veriſſimum eſſe evincitur. Similiter in ſequentibus &c.&c.

Pag. XXVII. lin. 3. poſt verbum: *completus*, ſic lege: Multum *Noſter* arte ſua de S. Scriptura, cujus editionem anno MCCCCLXXVII. publicavit, meritus eſt. Prodidit *Jac.* BRUCKERUS (*r*) duplicem Editionem *Bibliorum* a SORGIO noſtro anno 1477. accuratam fuiſſe, unam ſine anni, alteram cum anni indicio; ſed magnopere in hoc hallucinatus eſt. Equidem memorato anno 1477. duplex Editio *Bibliorum* prodiit *Auguſtæ*, una a SORGIO facta: altera vero, a *Sorgiana* omnino diverſa; quæ ad calcem *Tomi I.* annum impreſſionis 18ΛΛ (1477) exhibet adjectis Inſignibus, quibus vir hirſutus divaricatis cruribus, medius inter duas arbores, tenens manu ſiniſtra Scutum (in quo Leo flavus in area rubra, erectus in pedes, lingua exſerta, corona cærulea ornatus) conſpiciendus datur. Et hic quidem *Tomus*, nimirum *primus* Bibliorum, de quibus ſermo eſt, extat in Bibliotheca *FF.* VEITHIORUM: Tomi vero *ſecundi* eorundem Bibliorum ſubſcriptionem affert M. *Georg. Wolfgang.* PANZERUS, in Libro: *Beſchreibung der älteſten Augſpurgiſchen Ausgaben der Bibel*, *p.* 20. quem, ſi placet, conſule. Sed ad *Noſtrum* revertamur. Anno MCCCCLXXX. SORGIUS repetivit Editionem *Bibliorum*. Inſuper in SS.

Patrum

Patrum Opuſculis edendis operam inſumpſit *Noſter*, uti teſtantur *S. Ambroſii Expoſitio* &c. &c. &c.

Pag. XXVIII. lin. 8. poſt verba : *a Noſtro editus*, adde : Immo Inventum, paginas numeris ſignandi, ante SORGIUM extitiſſe, bene monuit per litteras *M. Joannes* NAST Profeſſor Gymnaſii *Stutgardiani* in Ducatu *Würtembergico*. Merito deinde &c. &c.

Pag. XXIX. lin. 14 poſt verba : *cum anno 1492. deſineret*, adde :
Certe hanc transpoſitionem cifrarum omnino factam eſſe, contendit per litteras *M. Joannes* NAST Profeſſor Gymnaſii *Stutgardiani* in Ducatu *Würtembergico*. Editionem autem anni 1489. extare in Bibliotheca *Cremiſauenſis* in *Auſtria* monaſterii, monitus ſum per litteras *ex* eadem *Bibliotheca* ad me datas.

Pag. XXIX. §. X. ſic lege :
Paragraphum hunc quatuor typographis Auguſtanis, a quibus perpauca artis monumenta extant, dicandum arbitror. Sunt hi *Jodocus* PFLANZMANNUS, *Joannes* KELLER, *Ambroſius* KELLER, & *Joannes* WIENER.

Jodoci PFLANZMANNI, *Advocati*, quem ſe ipſum appellat, *Curiæ Auguſtenſis*, ſimul ac *Typographi* memoriam nobis ſervavit Bibliotheca celeberrimi Monaſterii *Urſinenſis*, Ord. *S. Benedicti*, haud procul *Kaufbura* imperiali *Sueviæ* civitate ſiti, in qua *Noſtri* duo ſequentia monumenta viſuntur. I. *Hie hebt ſich an ein Capitel, oder ein Sammung die gemacht hat maiſt : Samuel ein Jud oder ein Iſraheliſcher* &c. In fine legitur : *Hie endet ſich daz Puch, daz Rabbi Samuel vor vyl Zeiten ain groſer Judiſcher Maiſt : gemacht hat . . . und wird daz Puch pillich genannt, aynn ſterkung criſtenlichs Glaubens. darum es auch gedrukt hat Judocus Pflanzman aynn*

 furs-

fürſprech des gaiſtlichen Gerichs zu Augſpurg ... als man zalt nach Chriſti unſ. Herr gepurt tauſent vier hundert und in dem fünf und ſiebenczigiſten Jare. in 4to. II. *Hie heben an die Titel des Pſalters über einen jeden Pſalm.* Ad calcem legere eſt: *Es iſt zewiſſen, daſ ditz püchlein mit ſunderem vleyſſe iſt geſetz durch mich Joſen Pflanzman ein fürſprechen des hofs zu Augſpurg und daſſelb in meiner trukerey laſſen trucken* &c. in 4to. ſine indicio anni.

Joannis KELLERI unum extat monumentum &c. &c. &c.

Pag. XXIX. lin. ultima, poſt verba: *mendoſe afferatur*, adde:

Mendoſiſſime afferi, per litteras monuit *Joannes* NAST Profeſſor Gymnaſii Stutgardiani, indiciumque anni 1468. in aperto mendo cubare contendit. Neque aliam, quam Editionem anni 1478. haberi in Bibliotheca *Cremifanenſi*, cognitum habeo ex litteris ad me *ex* dicta *Bibliotheca* ſcriptis. Succedit &c. &c.

Pag. XXXI. lin. 26. ſic lege:

quod de quatuor memoratis Typographis dicere habeo.

Pag. XXXII. ad finem §. XI. poſt verba: *in Annæ* RUGERIÆ *typographia excuſum*, adde:

Officinam typographicam *Annæ* RUGERIÆ, ſeu RUGERIN Auguſtæ extitiſſe, & in eadem *Speculum ſaxonicum*, ſaltem anno MCCCCLXXXIV. excuſum fuiſſe, certiſſime comprobat Liber: *Litterariſches Muſeum*, *Vol. II. faſc.* 2. *p.* 271. ſequentem afferens hujus *Speculi* ſubſcriptionem: (*Hye endet ſych der ſachſenſpiegel mit ordnung des rechten den der erwirdig in got vater und herr Theodoricus von bockſsdorf biſchof zu neünburg ſäliger gecorrigiert hat. Gedruckt und volendt von Anna Rügerin in*

der

der keyſer'ichen ſtat Augſpurg am aftermontag nächſt vor Johannis. do man Zalt nach Chriſti geburt MCCCCLXXXIIII. jar) in *folio.*

Pag. XXXIII. lin. 2. poſt verba : *uti ſequentes Annales docent*, lege :

Immo jam anno MCCCCLXXXI. *Noſtrum* cudendi libros initium feciſſe, doctus ſum per litteras ex *Bibliotheca Cremiſanenſi* mihi ſubmiſſas; in qua ipſa ſequens Opus rubro - nigrum, 4to. exſiſtit. *Hiernach volgent die Heyligen teutſchen Evangeli, und Epiſtel mit ſampt den vier paſſion. Auch alle lection und prophetien durch das gantz jar, wie sy in einem yeglichen Meſsbuch geſchriben ſteend von dem Zeit, und von dem heyligen nach Ordnunge der heyligen Chriſtenheit. Auch vinndet man in dyſem buch über all ſuntägliche Evangeli ein gloſs, das iſt eine gute nutzliche ler und Auslegung desſelben evangelis.* In fine : *Das hat gedruket unnd vollendet Hanns Schönsperger und Thoman Rüger in der kayſerlichen ſtat Augsburg Am Sampſtag nach Andree des heyligen zwölffboten Anno Domini M. CCCC. LXXXI. jare.* Ex adductis conſtat, puto, *Noſtrum* non ſolum anno 1481. *Auguſtæ* cudere cæpiſſe, ſed etiam laborum ſocium habuiſſe RUGERUM, paulo poſt fatis ſublatum, ut credibile eſt, viduamque poſt ſe linquentem *Annam* RUGERIAM, de qua præcedenti paragrapho dictum eſt. Sed modo de ſolo SCHOENSPERGERO agendum! Hic anno 1488. *Herbarium* lingua vernacula cum *herbarum & aliis iconiſmis*, coloribus diſtinctis, publicavit. Primas in hoc librorum genere vulgando tuliſſe *Noſtrum*, tradidit *Jacob.* BRUCKERUS *l. c.* ſed obſtat *Herbarium*, quod *Moguntiæ* jam anno MCCCCLXXX. excuſum fuit (Apte hoc monet Liber : *Eſprit des Journaux. Novembre.* 1779. *a Paris. p.* 371.) utrum autem etiam *Iconiſmis*, & his apto colorum genere illuſtratis, de-

coratum ſit, neſcio. Anno 1490. *Biblia* germa- &c. &c.

Pag. XXXV. lin. ultima, poſt verba: *libros typis exſcripſit (f)* adde:

Hoc ipſum etiam anno MCCCCLXXXI. a ſolo *Noſtro* ibidem præſtitum fuiſſe, luculentiſſime probat Liber: *Litterariſches Muſeum, Vol. II. faſc.* 2. *p.* 269. 270. fuſe proponens ſubſcriptiones librorum, hoc anno *Venetiis* ſola *Noſtri* opera excuſorum. Fertur &c. &c.

Pag. XXXVI. lin. 3. poſt verbum: *inveniſſe*, adde:

Certe litteræ iſtæ paſſim occurrunt in mox laudato a me *Appiano*, nec ſolum litteræ, ſed integræ primi folii decorationes floridulæ, per totum marginis quadrum ductæ. At huic opinioni contradicit *Gerard.* MEERMANNUS in *Origin. typograph. Tom. I. cap.* 9. *nota* (*a r*) docens, *florentium litterarum* uſum multo vetuſtiorem eſſe. Dum autem MEERMANNUS hoc laudis *Noſtro* abjudicat, aliud eidem *Libr. cit. Tom. I. c.* 1. *nota* (*a c*) attribuit, dicens: *Novum tandem impreſſioni decus adjecit Erhardus* RATDOLT... *compoſitione atramenti aurei impreſſorii, quali ſuperbiunt exempla membranacea tum* Elementorum Euclidis. Venetiis. 1482. *in Bibliotheca Smithiana* . . . *tum* Antiquitatum Peutingerianarum. Auguſtæ. 1505. *in Bibliotheca Harlejana . . . quod proinde negare non debet* Proſp. Marchantius *in Diction. hiſtor. v.* RATDOLT. Simili arte refulgens *Euclidis Elementorum* exemplar, attamen chartaceum, *Erhardus* noſter anno 1484. donavit Bibliothecæ tunc *PP. Carmelitarum*, Auguſtæ, *ad S. Annæ*; quæ cum poſtea *Bibliotheca publica Auguſtana* facta ſit, illud ibidem etiamnum viſitur. Extat &c. &c.

Pag. XL. lin. 10. poſt verba: *prælum exercuiſſet?* adde:

Sed huic controverſiæ finem imponit Liber: *Litterari-*

rariſches Muſeum , *Vol. II. faſc.* 2. *p.* 251. cujus auctor ex *Jo. Lucil. Santritteri* Epigrammate audacter , & merito infert , *Calendarium Regiomantani* anni 1483. a Noſtro *Venetiis* excuſum fuiſſe ; minime *Auguſtæ* : idemque ſentit is ipſe Auctor de *Opusculo ſphærico Joann. de Sacrobuſto* ; quod in ſubſcriptione Opuſculi hujus nulla mentio *Auguſtæ* urbis fiat , ſed ſimpliciter dicatur : *Impreſſum hoc eſt Opuſculum mira arte & diligentia Erhardi Ratdolt Auguſtenſis.* 2. *Non. Julii Anno ſalutis* 1482. Ecce! ne verbulum quidem de urbe *Auguſta.* Aeque labili &c. &c.

Pag. XLIV. lin. 7. poſt verba: *anno* 1509. *imprimendo* , adde :

Brixinenſis quoque *Eccleſiæ Breviarium* anno MCCCCLXXXIX. *Auguſtæ* in forma *octava,* ut ajunt, haud dubie juſſu Epiſcopi ejusdem Eccleſiæ impreſſit , cujus Operis exemplar in Bibliotheca PP. *Auguſtinianorum Friburgi Briſgoiæ* extare me monuit P. *Engelbertus* KLUPFEL, ipſe *Auguſtinianus* , Theologiæ Profeſſor , libris editis orbi litterato notiſſimus. *Ratisbonenſi* inſuper Eccleſiæ ſua arte inſerviit *Noſter* , *Breviarium* ejus Eccleſiæ in *octavo* typis exſcribens hac addita in fine epigraphe : *Impreſſum Auguſte arte & impenſis Erhardi Ratdolt viri ſolertis. Anno Domini. M. CCCC. XCVI. III. nonas novembris.* (Vide *Litterariſches Muſeum, Vol. II. faſc.* 2. *p.* 273.) Non ſolum autem variis per Germaniam Eccleſiis , ſed etiam Religioſis Ordinibus operam ſuam navavit *Noſter* ; utpote qui anno MCCCCLXXXVII. *Breviarium Carmelitarum* in *octavo* , teſte Libro : *Eſprit des Journaux. Novembre. a Paris.* 1779. *p.* 373. excudit : Similiter anno MDXIII. *Breviarium monaſticum* ſecunda vice *Auguſtæ* vulgavit ; prout mihi ex *Volumine II. MSSto. Viti* BILDII , Monachi San - Udalricani in ea civitate ,

tate, a me viſo, compertum eſt. Singularem præterea &c. &c.

Pag. XLV. lin. 12. poſt verba: *Lector amice! roga*, adde: Conſentit *Gerard. Meermannus*, qui in *Orig. typograph. Tom. I. c. 9. nota (a)* figuras mathematicas ſignis mobilibus excudiſſe *Noſtrum* affirmat. Non &c.

Pag. XLIX. lin. ultima, poſt verba: *Joannes* SYTTICH, adde:

His annumerari debet *Joannes* BLAUBITER, ſeu (verius, ut ego autumo) BLAUBIRER, de quo pauca ſunt, quæ moneam. *Joanni* noſtro in Libro: *Litterariſches Muſeum, Vol. II. faſc.* 2. *p.* 271. tribuitur *Calendarium* vernacula lingua ſcriptum, *cum obſervationibus aſtrologicis, & regulis ſanitatis*, in fine cujus legitur: *Gedruckt zu Augſpurg von Johannes Blaubirer anno Domini MCCCCLXXXI.* in 4$^{to.}$ *cum figuris.* Anno MCCCCLXXXIII. ſimile *Calendarium* a *Noſtro* typis denuo exſcriptum fuiſſe, mox citatus Liber teſtatur. Sequens Opus anno MCCCCLXXXII. a *Noſtro* excuſum vidit in Bibliotheca Cænobii *Tegernſeenſis Georg. Guilielm.* ZAPF (Vide Ejus Opuſculum: *Ueber meine litterariſche Reiſe in einige Klöſter Baierns, pag.* 40.) *Hienach ſteend verzaichnet die ausgeprannten Waſſer, in welcher maſſ man die zu den gelindern nuzen und brauchen ſoll &c. &c.* In fine: *Gedruckt zu Augſpurg von Johannem Blaubirer Anno Domini MCCCCLXXXII.* Extat præterea in regia Bibliotheca Dresdenſi (Vid. *Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu Dresden, Vol. II. p.* 236. in 4$^{to.}$) ſequens Opus a *Noſtro* impreſſum: *Flores virtutum, oder das Buch der Tugend. gedruckt zu Augſpurg von Johannes Blaubiter ym ſechſt und achtzigiſten* (1486). in *folio* minori, cum Imaginibus ligno, quamvis minus artificioſe, inciſis. Accedit quidam

Mat-

Matthæus ELCHINGER, a quo impreſſam *Cantiunculam de Maria Virgine*, in Bibliotheca Cænobii *Tegernſeenſis*, margini cujusdam Libri adglutinatam obſervavit *Georg. Guil.* ZAPF (Conſule Ejus Opusculum : *Ueber meine litterariſche Reiſe in einige Klöſter Baierns*, *pag.* 41.) hoc titulo: *Ein new geiſtlich Lied von der Junkfrau Maria &c. &c.* hac autem ſubſcriptione: *gedruckt zu Augſpurg von Mattheus Elchinger an ſant Urſulen Cloſter.* quem ipſum ELCHINGERUM ineunte ſæculo XVI. vixiſſe & excudiſſe ex characterum forma laudatus D. ZAPF colligit. Supervacaneum &c. &c.

Pag. LI. lin. 13. ſic lege:

Satis puto de his omnibus dictum eſt. Plura &c. &c.

Pag. LXIV. lin. 6. poſt verba: *Societ. Jeſu*, adde:

Imo jam uno anno prius, ſcilicet MDXXIII. artem ſuam *Auguſtæ* factitaſſe, evincit Liber: *Litterariſches Muſeum*, *Vol. II. faſc.* 2. *p.* 289. qui, hoc anno e typographeo *Henrici* noſtri in 4to. prodiviſſe ſequens Opuſculum, monet: *Haimliche Anſchleg und fürnemung des Türckiſchen Kayſers (wann er Rodis eroberte) wider die Criſten und Chriſtliche Lender &c. Vnd and's mer durch die gefangen Türcken, ſo von Möran gen Görz gefürt, Newlich bekant und geoffenbart worden &c. (getruckt zu Augſpurg durch Haynrich Stayner. M.D.XXIII.*) Diſcimus præterea ex mox laudato Libro, idem *Opuſculum* a *Noſtro*, anno & loco eodem repetitis typis fuiſſe procuſum, unice orthographia paululum immutata. Vocavit ſe &c. &c.

Pag. LXVII. l. 13. poſt verba: *tantum nomine tenus commemorare*, adde:

Sunt hi *Joannes* ERPHORDIANUS, cujus notitiam nobis Liber: *Litterariſches Muſeum*, *Vol. II. faſc.* 2. *p.* 281. ſuppeditat, monens, a *Noſtro* anno MDXIX.

cuſum

cuſum fuiſſe Opuſculum ſequens : *Richardi Sbrulii Equitis foroiuliani Ceſareique Poete ad Magnificum atq; illuſtrem Maximilianum Sevenbergenſem : Divi Caroli Ro. & Hiſpaniarum Regis &c. Oratorem undiq; Ornatiſſimum Moduli aliquot — Impreſſa ſunt Hec, Auguſtæ, apud Johannem Erphordianum. Divo Carolo Ro. atque Hiſpaniarum rege. An. Chr. M. D. XVIIII. III. Id. Novembris.* in 4to. (Liceat mihi, quaſi in tranſitu ſcrupulum ſubortum pandere, obſervationemque apponere non omnino temerariam. Cum vox, ERPHORDIANUS, procul omni dubio patriam *Joannis* indigitet, vereor multum, ne is, typographus novus, non ſit, ſed unus atque idem cum jam a me laudatis, quibus agnomen *Joannes* eſt. Sed certiora tempus docebit) *Simpertus* RUFF, qui annis &c. &c. &c.

B 65343